1.ª D 26

Z.
LE III
60

ESEGESI
BIBLICA
160
N
51.
BIB.NAZ.NAPOLI

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
160
N
51
NAPOLI

XV. F! 22

106
D. 36 42
33

Digitized by Google

# CAROLI BUTTINGHAUSEN

# *SPECIMEN*
# HORARUM HEBRAICARUM
*AC*
# ARABICARUM,
*UT ET*
# OBSERVATIONUM BIBLICARUM.

*TRAJECTI ad RHENUM*,

Apud GISBERT. TIEM. A PADDENBURG, ET ABRAHAMUM A PADDENBURG,

Bibliopolas, MDCCLVIII.

Plinius Secundus Lib. VII. Epiſt. IX.

*Ut terræ variis mutatisque ſeminibus, ita ingenia noſtra nunc hac nunc illa meditatione recoluntur.*

Digitized by Google

*VIRO PERILLUSTRI*
*&*
*GENEROSISSIMO DOMINO*

**Dn. ABRAHAMO DE LULS,**

CONSILIARIO INTIMO ARCHI PALATINO & VEN. SENATUS ECCLESIASTICI PRÆSIDI GRAVISSIMO.

*Ac*
*MAGNIFICO & NOBILISSIMO DOMINO*

**Dn. JOH. GEORGIO HECHT,**

EJUSDEM SENATUS VICE-DIRECTORI MERITISSIMO.

*Nec non*
*VIRIS SUMME REVERENDIS CONSULTISSIMIS AMPLISSIMIS DOMINIS CONSILIARIIS ECCLESIASTICIS*

**Dn. PHIL. LUDOV. PASTOIR,**

SIMUL HIST. ECCLESIAST. & ELOQ. PROF.

**Dn. CHRISTIANO FUCHS,**

SIMUL SUPR. CUR. MATRIM. CONSIL.

**Dn. GEORGIO HENR. SCHÆFFER,**

ECCLES. MANH. PAST.

**Dn. FRIEDERICO WUND,**

SIMUL SUPR. CUR. MATRIM. CONSIL.

**Dn. GEORGIO CHRISTOH. GROHE,**

Dn.

Dn. PHILIPPO FLAD,
SIMUL SUPR. CUR. MATRIM. CONSIL.

Dn. LUDOV. GEORGIO MIEG,
SIMUL EPHORO COLLEGII SAPIENT. & PAST. ECCLES. HEIDELB. AD S. SPIRITUM.

Dn. JOH. DANIELI BEHR,

Dn. ADAMO ABRAH. MULLER,
SIMUL ECCLES. SCHWETZING. PASTORI.

*MÆCENATIBUS ac PATRONIS OPTIMIS*

HOC OBSERVATIONUM
*SPECIMEN*,
SE SUAQUE STUDIA,

*D. D. D.*

CAROLUS BUTTINGHAUSEN.

C A-

# CAROLI BUTTINGHAUSEN

## *SPECIMEN*

## HORARUM HEBRAICARUM AC ARABICARUM, NEC NON OBSERVATIONUM BIBLICARUM.

### GEN. I. 26.

F*aciamus Homines.* Multi ex Judæis volunt, Deum his verbis allocutum eſſe Angelos. Huc refero illa, quæ ex *Sanhedrin* exhibet Raymundus *Pug. Fidei*, *p.* 452. ubi ita Judæi: *In hora, qua voluit Deus creare Adamum*, ברא כת אחת של מלאכי השרת ואמר להם quæ Raymundus reddit: *creavit turmam unam Angelorum Miniſterii & dixit eis.* Sed potius redde: *turmam primam*, poſtea enim ſecunda & tertia Angelorum turma memoratur. Et ſimul loco του ברא *creavit* legerem כרא *vocavit eos.* Nam Angeli eadem cum Adamo Hora non ſunt creati. Præterea, quæ V. D. ibid. in margine ex editione Lubl. citat, לא יפה אמרו/. non reddenda ſunt: *non recte locuti ſunt*;

*ſunt*; ſed potius: ***annon recte locuti ſunt?*** Cum enim Deus, creator hominis, primam ac ſecundam Angelorum turmam contradicentem cremaſſet, tertia quidem annuit, ſed cum *perveniſſent homines generationis diluvii, illorumque opera eſſent inordinata*, tunc tertii ordinis Angeli dixerunt: לא יפה אמרו ראשינים i. e. *annon recte locuti ſunt illi priores?* qui ſcilicet erant ex turma אחת i. e. *prima.*

## GEN. IV. 3.

## DE

# FINE DIERUM.

## §. 1.

Phraſin מקץ ימים nonnulli cum LXX. & Philone *lib. de Sacrif. Abelis & Caini, p. m.* 137. *D.* reddunt: *poſt dies*; alii intelligunt *finem hebdomatis*; alii vero *finem anni.* Alibi tribus, ut ajunt, verbis קץ ימים (*) per *finem vitæ Abelis* expoſui. Poſtea quidem apud Pellicanum *ad h. l. p. m. 7. B.* hæc legi: *contigit poſt lapſum temporis, cum finis vitæ Abel appeteret, a Domino inſtitutus.* Sed non ſatis inde conſtat, an Pellicanus מקץ ימים reddiderit *poſt lapſum temporis* i. e. *poſt multos dies*, & reliqua nexus gratia addiderit?

(*) Corol. V. annexo Diſſertationi Cl. Ammendorffii *de Adflictionibus Jobi*, Duisburgi 1751. ventilatæ.

diderit? vel an verba: *cum dies vitæ Abel appeteret*, pertineant ad verſionem τοῦ מקץ ימים? Prius probabilius videtur. Si vero poſterius magis placet, utique mihi gratulor de conſenſu tanti Viri. Et hanc jam conjecturam pluribus adſtruere animus eſt.

§. 2.

Et quidem primo nexus generalis mihi maxime favet. Hæc enim non diu ante mortem Abelis contigerunt. Cain & Abel offerunt ſacrificia ℣. 3. 4. *Jehova vero ad Abelem & munus ejus; ad Cainum vero & ad munus ejus non reſpexit*, ℣. 4. 5. Cainum, invidia propterea ductum, Deus blande reprehendit, ℣. 6. 7. Iſte vero magis offenſus, ויאמר קין אל־אבל/ ℣. 8. quæ verba reddere poſſumus: *locutus eſt contra Abelem*; vel, quemadmodum, docente cel. VRIEMOET *annot. ad dicta Claſſ. Tom. II. p.* 317. אמר ſæpius apud Scriptores venit, ita: *cogitavit*, *ſecum conſtituit*, id ſcil. quod poſtea executioni dedit, necem nempe Abelis: *evenit* enim, *ut inſurgens Cain in Abelem, fratrem ſuum, interficeret eum*. ℣. 8.

§. 3.

Nec adeo ab hac mea expoſitione verba ipſa abhorrent. Nam ימים ſæpius *vitæ tempus* denotare, præter alios docet LUD. DE DIEU, *Crit. Sac. ad Pſ. CXVI.* 2. *p. m.* 164. Porro קץ *finis* omnibus ferme linguis indicat mortem, quæ

—— *ultima linea rerum.*

Imprimis verba, quam maxime parallela adducere juvat ex *Pſ. XXXIX.* 5. *fac*, *ut experiar* קצי *finem meum*, & *menſuram* ימי *dierum*. Sic & dies

apud Judæos occurrunt: ſi nempe quid in vita ſua videre optant, exclamare ſolent: *fiat in diebus noſtris.* Ex. gr. Tr. תענית *cap. ult.* §. *ult.* dicunt: שיבנה במהרה בימינו אמן *exſtruatur cito in diebus noſtris* (ſcil. ſanctuarium) *amen.* Quam maxime vero huc refero illa loca, quibus *finis* atque *dies* conjunguntur. Apud Josephum Gorionidem, *lib. V. cap. XXXIII. p.* 487. edit. Breith. Herodes principes ac duces hunc in modum alloquitur: קרבו ימי קיצי *appropinquavit dierum meorum finis.* De Morte Moſis in מדרש אלה הדברים ad *Deut. III.* 26. legimus: שהגיע קצו *appropinquavit finis ejus*, & dixit ei Sanctus Benedictus: הן קרבו ימיך למות *ecce appropinquaverunt dies tui ad mortem.* Sic Liber *de Vita & Morte Moſis*, ex latina Fabricii editione *p.* 46. ita: *Deus Samaeli Moſis mortem mandavit*, — Samael dicit: *venit tibi ſumma dies.*

§. 4.

Aſt objicies, ſi huic conjecturæ eſſet locus, Moſes ſcripſiſſet: *fuit in fine dierum ipſius* ſcil. *Abelis.* Sed talis ellipſis frequens admodum eſt. En exemplum, nec longe petitum! Græci dicunt ἐτελεύτησεν *mortuus eſt*, ubi non tantum eſt ellipſis *vitæ*, ſed & pronominis relativi ſuæ: reddi enim debet: *finivit, vitam* nempe *ſuam.*

§. 5.

Ulterius forſitan excipis, hac ratione non finem *Abelis* ſed potius *Caini* intelligendum eſſe, de Caino enim Moſes ℣. 2. ultimo loco locutum eſſe. Aſt reſponſio eſt in promptu. Nam 1.) S. S. ſæpius reſpicit ad remotius, non ſemper ad proxime ante-

antecedens. 2.) Moſes initio ℣. antecedentis dixerat: *peperit Abelem:* jam brevitati ſtudens, cum hac nativitate ſtatim conjungit hiſtoriam mortis Abelis. Ut vero hiſtoria illa rite intelligatur, in fine ℣. 2. vitæ genus, quod *Abel* & *Cain* ſecuti ſunt, quaſi in tranſitu enarrat, & parentheſi includit hæc verba. *Abel erat paſtor gregis & Cain agricola.* Adeoque verba מקץ ימים non referenda ſunt ad Cainum, ſed potius ad Abelem.

L E V. XVI.

## DE COMPARATIONE EXPIATIONIS DIEI CUM EXPIATIONE JESU CHRISTI.

§. I.

Eandem comparationem inſtituit cel. Rhenferdius ſingulari Diſſertatione, Codici *Joma*, Franeq. 1696. edito, adjecta, quæque, quod cum cel. Gerdesio *Miſcel. Duisb. Tom. II. Faſc. II. p. m* 263. *Not. a.* dolemus, omiſſa eſt in operibus Rhenferdii Philologicis: quamque propterea cel. Joh. Gerh. Meuschen *Novo* ſuo *Teſtamento, ex Talmude & Antiquit. Hebr. illuſtrato, p.* 1013. ſeq. inſeruit. Sic cl. A. J. de Krakevitz, Diſſ. *de animarum noſtrarum Sponſo & Sponſore, in monte Oliveti animæ doloribus excruciato,* vent. 1708. §. *VII. p. m.* 15. 16. obſervat, Chriſtum, dum *in terram procidens,* Matth. XXVI. *oraret,* imitatum fuiſſe Judæorum ritum, qui hoc expia-

tionis die ſeſe in faciem proſternere ſolebant. Sed jam alia addere liceat.

§. 2.

Et quidem primo videamus hujus diei nomina. Dicitur 1.) יום הכפורים *dies expiationum*, LXX. ἡμερα ἐξιλασμου; 2.) יום סליחה ומחילה *dies placationis*, *Gem. Bava Bathra* 121. 1. Quæ nomina expiationi Jeſu Chriſti facile applicari poſſunt.

§. 3.

Apellatur 3.) שבת *Sabbathum*; Lev. XVI. 31. Sic Chriſtus acquiſivit σαββατισμον τω λαω του Θεου, Heb. IV. 9. Judæis 4.) eſt יום טוב *Taanith cap. IV.* §. 8. Ita de tempore Meſſiæ exclamant Pſ. CXVIII. 24. *Hæc eſt iſta dies, quam effecit Jehova.*

§. 4.

Ac denique hunc diem καθ' ἐξοχην apellant יומא *diem.* Et hinc cel. LAKEMACHERUS *Obſerv. Phil. P. I. Obſ. VII. p* 162. — 167. novam lucem præferre ſtudet verbis Heb. VII. 27. καθ' ἡμεραν. Sed prima hujus interpretationis gloria tribuenda eſt Cl. JOH. AB HAMM. *de ara inter. p. m.* 260. Cel. PALAIRET *Obſerv. Philologico-Crit. in N. T. ad h. l. p. m.* 485. ad Hebraismum currere recuſat, cum ἡμερα apud Græcos, pro *certo*, *ſtato die* uſurpetur, idque Elliptice pro ἡμερα ταχθη vel ῥητη. Sed & alio modo phraſin καθ' ἡμεραν de Expiationis die exponere poſſumus. Apoſtolus nempe in antecedentibus de expiationis die loquitur, & jam addit: καθ' ἡμεραν i. e. καθ' αὐθην την ἡμεραν, quemadmodum & THEO-

Theodoretus, *Quæſt.* 22. *in Lev.* de expiationis die agens, ſcribit: καὶ αὐτὴν τὴν ἡμέραν. Quicquid ſit! ſi iſte expiationis dies in emphaſi יומא dici meretur, optimo utique jure de Meſſiæ tempore Pſ. CXVIII. 24. legimus: *Hæc eſt dies, quam effecit Jehova.* Nam Chriſtus *amovit iniquitatem terræ die uno.* Zach. III. 9.

§. 5.

Sed ne in ſolis voculis hærere videamur, pergamus ad rem ipſam. Auctor, qui *Maimonidem* nomine (*) שם טוב illuſtravit, hancce clangoris formulam, in feſto buccinarum, quod ad expiationis diem præparabat Judæos, uſitatam, memoriæ prodidit: עורו עורו משנתכם הקיצו משנתיכם שהוא העסק בהבלי העולם שתרדמה השם נפלה עליכם *Excitamini, excitamini e ſomno veſtro, evigilate e ſomno veſtro, qui vana tractatis, nam ſopor vobis gravis immiſſus eſt.* Sic & Chriſtus, antequam electorum expiaret peccata, Matth. XXVI. 40-45. ter geminis vicibus diſcipulos iisdem ferme verbis alloquitur.

§. 6.

Die hoc inſtante juniores ſacerdotes Pontificem Maximum a ſomno avertebant. *Joma Cap. I. §. 7.* Cel. Heinius *Diſſ. Sac. cap. XI. p. m.* 143. 144. huic loco opponit Josephum *Antiq. XVII* 8. & ipſos Talmudicos in *Megilla Cap I. fol.* 72. *col.* 1. ubi *Matthias* Pontifex Maximus ea nocte, quæ præ-

(*) Hæc jam adduxi in *Regulis Miſcel. obſervandis in Antiq. Jud.* §. *XIV.* vent. in Collegio Sapientiæ per J. C. Hertzogenrath 1754.

præcedebat jejunii diem viſus eſt ſibi per ſomnium cum uxore congredi; & has inde V. D. conſequentias nectit: *turpiſſimo modo ſibi ipſis contradicunt, obliti canonis: mendacem oportere eſſe memorem. Nam vel affirmandum Matthiam vigilando ſomniaſſe, quod ridiculum, vel Judæorum hanc* παραδοσιν *abſurdam eſſe contradictionem, quod veriſſimum exiſtimamus. U. E. D.* Sed heic ne ſpeciem quidem, qui forte meus eſt ſtupor, mathematicæ Demonſtrationis video. Exempla enim non tollunt leges. Et ipſe V. D. *Cap. IX. §. XVI. p.m.* 131.132. prolixius inculcaverat; a præceptis & legibus ad perpetuam earum exſecutionem nullam valere argumentationem. Adeoque cum V. D. moneat, *mendacem oportere eſſe memorem*, Judæi regerere poſſent: *reprehenſorem oportet eſſe memorem.* Sed ut e diverticulo in viam redeamus, Cel. Rhenferdius Diſſ. cit §. *X. p. m.* 116. ingens diſcrimen Pontificem Judæorum inter & Pontificem pacis noſtræ his elegantiſſimis verbis oſtendit: *Tantum*, inquit, abeſt, *ut Chriſto ſimile officium diſcipuli ejus præſtiterint, ut ille e contrario, cum totam noctem inſomnis ageret, graviſſimis ſanctiſſimisque meditationibus & ardentiſſimis ad Deum precibus intentus, illos iterum iterumque a ſomno debuerit excitare.* His ſpecialiores addere liceat meditationes. Loc. cit. *Joma Cap.* 1. §. 7. אישי קהן גרול עמור ער. שיגיע זמן השחטה *Domine Sacerdos M. ſta, donec mactationis tempus inſtaret.* Chriſtus diſcipulos ſuos ita adhortatus Matth. XXVI. 46. ἐγειρεσθε ἀγωμεν. ℣. 45. ἰδοὺ, ἤγγικεν ἡ ὥρα *inſtat tempus mactationis*, i. e. paſſionis meæ.

§. 7.

§. 7.

Porro Pontificem hisce in *Joma Cap.* 1. §. 5. memoratis verbis adjurabant: משביעין אני עליך במי ששכן את שמו בבית הזה: *adjuramus te per eum cujus nomen habitat in hoc templo*, *quod* nempe, ut addunt, *non mutabis quicquam.* Huc forſan quis referre poſſet illud Matth. XXVI. 63. ἐξορκιζω σε κατα του Θεου του ζωντος, Ceterum heic conjecturam de *Phariſæorum* denominatione exhibere liceat. Loc. cit. pergunt: והן פורשים ובוכים *& illi* (his dictis) *diſcedebant & flebant.* Hæc vero omnia, ut *Gemara Hieroſolymit.* annotat, oppoſita erant Sadducæis; Conf. Doctiſſ. SERINGHAMUM *ad h. l. Not* 2. *p. m.* 8; adeoque hæc dubio procul a Phariſæis, graviſſimis Sadducæorum hoſtibus, introducta. Et inde forſan *Phariſæi*, qui tanto apparatu diſſenſum a Saducæorum ſecta hoc magno expiationis die oſtendebant, והן פורשים *quique diſcedebant*, dicti ſunt פרושים i. e. *Phariſæi.*

§. 8.

PHILO *lib. de legatione ad Cajum p. m.* 1035. *A.* docet, per Pontificem, vota facientem in Sancto Sanctorum, contingere ἐυθηνειαν και ἐιρηνην ἁπασιν ἀνθρωποις (*) felicem annum & pacem omnibus hominibus. Chriſtus, qui eſt שר שלום Jeſ. IX. 5. ac Pontifex pacis noſtræ, expiatione ſua in cruce *pacem* nobis reddidit Eph. II. 15. 16. Col. I. 20.

§. 9.

(*) Hujus loci defenſionem contra Cl. RIES *Compendio Antiquitatum Judaicarum*, quod jam e PHILONE colligo, reſervo.

§. 9.

Hoc die diabolum nullam habere poteſtatem, gloriantur Judæi *Joma fol.* 20. 1. Conf. Buxtorfium *Lex. Talm. V.* סטן *p. m.* 1464. A. Relandum *Antiq. Sac. P. IV. Cap. VI.* §. 1. Sic & Chriſtus inquit: ἐρχεται ὁ του κοσμου τουτου ἀρχων, και ἐν ἐμοι οὐκ ἐχει οὐδεν Joh. XIV. 30. Nam δια του θανατου καταργηση τον διαβολον Heb. II. 14.

§. 10.

Huc ſpectant ea, quæ Relandus loc. cit. ex *Midraſcb Scbir Haſſirim* 9. 1. profert: שחורה אני כל ימי השנה האוה אני ביום הכיפורים *nigra ſum omnibus diebus anni, at pulcbra ſum die expiationis.* Sic peccator quidem eſt *ætiops*, *qui cutem ſuam mutare nequit* Jer. XIII. 23. ſed tamen *tanquam nix exalbeſcit*, & *ſimilis eſt lanæ albæ* Jeſ. I. 18. Fideles enim ἐλευκαναν ϛολας ἀυτων ἐν τω ἀιματι του ἀρνιου Apoc. VII. 14.

§. 11.

*Joma Cap. VII.* §. 1. legimus: וגולל ספר תורה ומניחו בחיקו & *Pontifex volebat librum legis*, & *ſuo pectore collocabat*, vel *cordi impoſuit.* Vid. Seringhamus *ad b. l. Not.* 9. *p. m.* 82. Sic Chriſtus Pſ. XLIV. 8. 9. dicit: *in volumine legis ſcriptum eſt de me*, & *lex tua in medio viſcerum meorum.*

§. 12.

Hoc die filiæ Judæ exultabant, Vid. תענית *Cap. ult.* §. *ult.* Ita & Pſ. CXVIII. 24. legimus: *eſt dies*,

*dies, quem effecit Jehova, exſultemus & lætemur in eo.* Loc. cit. addunt: *filiæ Iſraelis egrediebantur indutæ veſtibus commodatis.* Ita & fideles alieno exornati ſunt veſtitu Jeſ. LXI. 10.

§. 13.

In formula, quam ex מחזור GRELLOTUS *Præf. ad Prod. in Apoc.* §. *LI.* & WAYENIUS. *Variis Sac. p.m.* 149. 150. produxerunt, ita loquuntur: ויזכר זכרוננו & *in recordationem veniat memoria noſtra.* Latro vero, propriam abnegans juſtitiam, exclamat: μνησθητι μου κυριε, ὅταν ἔλθῃς ἐν τῃ βασιλειᾳ σου Luc. XXIII. 42.

## L E V. XXI. 22. 23.

### A N
### SACERDOTES VITIO CORPORIS LABORANTES COMEDERINT SANCTISSIMA.

§. 1.

An Sacerdotes vitio corporis laborantes jus habuerint comedendi ſanctiſſima, acriter ventilatum eſt inter JOH. AB HAMM & JOH. HEN. HOTTINGERUM, ex quorum Scriptis hanc in rem *disquiſitionem* collegi, Francofurti 1756. in 8. editam.

§. 2.

Ibid. *Præf.* §. *X.* obſervavi, Cel. KIESLINGIUM *lib.*

*lib. Singulari de legibus Moſaicis circa Sacerdotes vitio corporis laborantes, in Eccleſia Chriſtiana emendatis*, Lipſiæ 1754. edito, ſententiam Hammianam ſicco præterire pede. Id quod utique mirum videtur, ſi obſervemus KIESLINGIUM *lib. cit. p. m.* 66. talia ex HAMMIO *de ara inter:* allegare, quæ ibidem non occurrunt. Ceterum, ſi cum V. D. *p. m.* 66. 67. affirmemus iſtos ſacerdotes extra Hieroſolymam in civitatibus, tribui Leviticæ adſcriptis tranſegiſſe vitam, eo magis confirmatur ſententia Cel. HAMMII.

§. 3.

Diſquiſ. Cit. *p.* 131. §. 11. oſtendi, eruditum Juvenem J.C. ERMRICH Diſſ. *de Sacerdotibus vitio corporis laborantibus a comeſtione ſanctiſſimorum non temere arcendis* Halæ 1752. ſub. præſidio Cel. STIEBRITZII edita, contra Cl. HAMMIUM monere, *voculas* מן *&* מ *in conſtructione cum* אכל *nunquam non denotare comeſtionis objectum*, adeoque nullibi vertendas eſſe per *abſque*, ut Lev. XXI. 22. vellet Cl. AB HAMM. Sed poſtea contrarium plane exemplum deprehendimus Hab. II. 16. *ſtatiatus es* מכבוד i. e. ut Cel. SCHULTENS in Job. XXI. 9. *p. m.* 550. hunc locum explicat, *nulla tibi gloria reliqua*, *gloria omni tibi detracta.*

## NUM. XIX. 19.

Cel. JOH. AB HAMM. *Miſcel. Duisb. Tom. II. p.* 624. *Obſerv. Biblica ad h. l.* docet, illa, quæ de pueris, aſperſionis cineris vaccæ rufæ miniſtris

niſtris Judæi tradunt, intelligenda eſſe de legis ſtudioſis, Juvenibus Sacerdotibus. Quam explicationem forte R. Ephraem Lemburgensis in *Jr Hagibburim fol.* 105. *col.* 4. Edit. Baſil. illuſtrat: ibidem enim tradit, *Eleaſarem fuiſſe ad munus vaccæ rufæ delectum, ut denotaretur legem quoque* Parvulis *eſſe accipiendam.* Certe Eleaſar proprio ſenſu parvulus non amplius erat.

## 1 SAM. XIII. 1.

*Saul filius anni*, בן שנה. De hoc loco prolixius egit Cel. Heinius *Diſſ. Sac. lib. II. Cap. I. p.* 148. – 161. Hæc notanda habeo. 1.) Forſan deficit particula כ. Hinc & *Chaldæus* כבר. 2.) Si cum Schultensio *in Job. p. m.* 378. שנים per *calamitates & longas miſerias* ex peculiari Arabum uſu exponimus, בן שנה forte eſſet Vir calamitatibus & miſeriis expoſitus. 3.) Orientalibus, imprimis vero Syris *filius* vel *filia* idem temporis momentum ſignificat: cum enim aliquid eodem tempore & ſtatim factum aut dictum ſit, dicere ſolent ܒܪ ܫܥܬܗ *in filio horæ ejus*, i. e. *eadem hora.* Adeoque phraſis בן שנה indicare poſſet, Saulem hæc egiſſe *eodem anno.*

## 1 REG. I. 39.

*Vivat Rex Salomo.* Josephus *Antiq. Lib. VII. Cap. XI.* aliam formulam ſubſtituit: *in æternum Salomo Rex in ſolio regio ſedeat.* Qua de re Cl.

Cl. Christoph. Frid. Schott. *Programmate* IX. Feb. 1755. Tubingæ edito, ita: *At vero nemo, ut equidem exiſtimo, diu ambiget, utra harum formularum a Populo Iſraelitico uſurpata fuerit, neque ad tollendum hunc diſſenſum opus eſſe credo, ut ad Divinam Sacrarum Paginarum auctoritatem provocemus, ut enim taceamus, inter omnes Eruditos conſtare, ſummo ſtudio id egiſſe Joſephum, ut in exponendis gentis ſuæ rebus Geſtis, Græcos Scriptores imitaretur, ejusque mores, a reliquarum Gentium agendi ratione ceteroquin longe diverſos, ipſarum moribus accomodaret; vel ipſa, quam ſubſtituit formula manifeſto declarat, a Græcis mutuam eam deſumtam fuiſſe. Etenim his uſitatum fuit, Principibus Viris* εἰς αἰῶνας *acclamando, fauſta precari &c.* Sed, quod pace V. D. dixerim, hæc in *Joſephum* κρίσις plane eſt ſuperflua. Nam ex eodem hoc capite, ſcil. ex 1 Reg. I. 31. ſatis patet, & Hebræos Regibus ſuis acclamaſſe εἰς αἰῶνας. Et adde Pſ. XXI. 3. 4. 5. Dan. VI. 6. & 21.

## DE

## FRAGMENTIS HISTORIÆ MOSAICÆ IN JOBO REPERTIS.

### §. 1.

Quanquam Cel. Heinius *Diſſ. Sac. lib. I. Cap. VII. p.* 92. – 107. eandem hanc materiam ſingulari cura & magno eruditionis apparatu tractaverit, breve tamen relictum eſt ſpecilegium.

§. 2.

§. 2.

Duo vero præmittenda duco. Et Prius quidem Cl. HERMAN BRUYNINGS *Miſcel. Groning. Tom. III. p.* 38. exhibet: *Non inſuetum*, inquit, *ſcriptoribus Sacris in deſcribendis hominum ſui ævi qualitatibus – alludere ad eos, in quibus primum ejusmodi rei exſtitit exemplum. Sic faſtus, ſuperbia vocatur* κριμα διαβολου 1 *Tim. III.* 6. *Ita Cainus paſſim ceu exemplum & imago odii – repræſentatur, quia primus ſe eo ſcelere polluit.* Hæc unusquisque præſenti materiæ applicare poteſt. Deinde cogitemus, multos jam Viros Doctos Hiſtorias Moſaicas in Ethnicorum ſcriptis quæſiviſſe. Sed ſi talia gentibus, ſpiſſis in tenebris denſaque caligine rerum oberrantibus, innotuerunt, quanto magis ſtatuere licet, Jobum ejusque amicos viarum Jehovæ minime fuiſſe ignaros.

§. 3.

Ceterum Veſtigiis Cl. HEINII *Diſſ. Sac. Lib. I. Cap. VII.* §. *V. p.* 94. 95. inſiſtere animus eſt, qui ita: *in pertractatione non tam ordinem capitum, quam ſeriem rerum ac temporum ſpectabimus, quod & argumentum illuſtrius & lectionem ipſam faciliorem reddet.*

## HISTORIA ADAMI.

§. 4.

Ad ejus creationem & mortem reſpicit Cap. X. 9. *ex luto feciſti me*, Conf. Gen. II. 7. *& ad pulverem me reduces*, Conf. Gen. III. 19. ut DRUSIUS *ad*

*ad h. l. Bibl. Crit. Tom. II. p.* 577. & Scheuchzerus *Jobi Phyſica Sac. p. m.* 53. obſervant. Hinc & Cel. Schultens *ad h. l. p.* 270. refutat illos, qui phraſin: *in pulverem me reduces*, figurate exponunt, nec audet deſerere literam hujus formulæ ex Gen. III. 19.

§. 5.

Quam maxime vero huc ſpectat Cap. XXXIII. 6. אני כפיך לאל. Hæc verba, quibus non raro meram inferre noctem ac denſas tenebras offundere ſolent Interpretes, Adami creationem reſpiciunt. Quocunque enim modo כפיך accipias, (vid. Piscator *Comment. in V. T. Tom. III. p. m.* 75. 76. 78. & Cl. Schultens *ad h. l. p.* 901. 902.) verba אני לאל optime redduntur: *ego ſum Dei*. Huc enim totus contextus manu quaſi ducit. Verba ℣. 4. *Spiritus Dei fecit me*, alludere ad hiſtoriam creationis Adami in propatulo eſt, docente Cl. Schultensio ad ℣. 4. *p. m.* 901. vid. & Drusius *ad h. l. Bibl. Crit. Tom. II. p.* 945. Dein membrum ℣. 6. poſterius, *ex luto & factus ſum*, continet exegeſin prioris, & indicat, cum alluſione ad Adamum dictum eſſe אני לאל. De Adamo enim ex creationis jure recte dicitur, quod fuerit לאל *Dei* (*). His admiſſis ſimul lux præfertur Luc. III. 38. Ἀδαμ του Θεου. Hunc locum ex Judæorum ſcriptis paſſim explicant V. D. vid. Wolfius *curis Crit. ad h. l. p. m.* 607. Sic Grotius *ad h. l. Tom. II. p.* 367.

(*) Paucis jam hæc expoſui Corrol. II. & III. adjecto Diſſ. Cel. Ammendorffii *de Ædflictionibus Jobi.* 1751.

*p*. 367. ad explicationem Lucæ loca profert ex JOSEPHO & PHILONE, qui *Deum Adami* vocat *patrem*, cujus loci partem ex GROTIO & proferunt Cl. HEINIUS *Diſſ. Sac. lib. II. cap. V.* §. *VII. p.* 197. & Cel. QUISTORPIUS Diſſ. de *Notione Biblica filiorum Dei* 1752. vent. §. *XVI. p.* 58. cum vero Viri laudati nec *Philonis* librum nec paginam indicent, moneo, locum exſtare *lib. de Nobil. p. m.* 906. *C.* & adde alium PHILONIS locum ex *lib. de Joſepho p. m.* 564. *C.* ubi *Joſephus* ad fratres ita: του Θεου ἐιμι. Quicquid ſit! potius Jobi locus adduci mereretur: *Elihu*, reſpiciens ad Adamum, dicit: אני לאל; & *Lucas:* Ἀδαμ του Θεου.

## *HISTORIA CAINI.*

§. 7.

Cap. X. 14. 15. Caini hiſtoriam reſpicere videntur. ỳ. 14. Si *peccavero* ושמרתני. Ita Deus, ſimul ac Cainus peccatum commiſerat, illud punit Gen. IV. 8. — 11. Apud Jobum additur: ומעוני לא תנקני & *ab iniquitate ſive a poëna non abſolvis me.* Hæc conveniunt cum illis Caini Gen. IV. 13. גדול עוני מנשא / ubi & alii עוני reddunt *iniquitatem*, alii vero *poënam.* Jobus ỳ. 15. pergit: לא אשא ראשי *non attollerem caput, etſi juſtus eſſem.* Ita Gen. IV. 7. *ſi bene feceris* שאת *erit elevatio* i. e. *vultus*, nam vox פנים ex antecedentibus repetenda videtur. Hæc ſi teneamus, grandior, quem ad h. l. inculcat Cel. SCHULTENS, exſurgit ſenſus; quaſi diceret: agis mecum, ac ſi impius eſſem Cainus.

B §. 8.

§. 8.

Jam alius, etiam alludendo ad Cainum, Jobum Cap. XI. 14. 15. refutare aggreditur. ℣. 14. און בירך *vanitas in manu tua*, quemadmodum & Caini peccatum tribuitur *manui* Gen. IV. 11. *terra accepit ſanguinem fratris tui* מידך *a manu tua.* In Jobo additur: *Et ne habitare ſinas in tentoriis tuis iniquitatem*, & ℣. 15. כי אז תשא פניך ממום *tunc attolles faciem tuam* ממום, quod ſecus ac alii, quos videre contigit, reddo: *abſque labe* vel *macula.* Sed conferamus hæc Jobi cum Gen. IV. 7. *præ foribus peccatum cubat*, & שאת *erit elevatio vultus.* Apud Jobum additur: & *non timebis & ſecurus eris, procumbesque nemine conterrente* ℣. 15. — 19. Quæ omnia oppoſita ſunt *timori* Caini Gen. IV. 14.

## *HISTORIA DILUVII.*

§. 9.

Cap. V. 10. הנתן מטר על פני ארץ ושלח מים על פני חוצות *Qui dat pluviam in ſuperficiem terræ, & qui emittit aquas ſuper faciem platearum:* Plures quidem hunc locum ad naturalem pluviam referunt, aſt illum ad aquas diluvii trahendum eſſe cum Pindea ad h. l. ſtatuo, cujusque ſententiam paucis exornare lubet. Nam 1.) potentiæ Divinæ, quam ℣. 8. 9. maximis ornaverat encomiis, documentum inſignius exſtat in diluvio, quam quidem in pluvia naturali. 2.) verbo שלח Antiqui præcipue diluvium exprimebant. Sic *Enochus* Spiritu Prophetico diluvium prævidens, filium vocavit מתושלח i. e. *morietur & erit emiſſio aquarum*, quia

quia nempe ſtatim illo mortuo aderat diluvium. Quemadmodum cum magno BOCHARTO ſentiunt HEIDEGGERUS *Hiſt. Pat. Tom.* 1. *p. m.* 228. & HEINIUS *Diſſ. Sac. lib. I. cap. IV. p.* 58. Ac certe conſtans veterum erat opinio, Diluvium a Patriarchis ſpiritu Prophetico fuiſſe præviſum. Hinc JOSEPHUS GORIONIDES edit. Breith. *lib. II. cap. XVIII. p. m.* 131. refert Alexandrum ad quandam veniſſe Inſulam, cujus incolæ narraverint, heic eſſe ſepulchrum קינן filii *Enoſi*, quique addiderint: ויבן בחכמתו כי השם יתברך יביא מבול על הארץ בימי נח *is ſapientia ſua intellexit, quod Deus T. O. M. diluvium Noachi ætate inducturus ſit.* Et hanc τον שלח ſignificationem confirmo verbis ipſius Cel. SCHULTENS qui ad Jobi XII. 15 *p. m.* 315. ita: שלח *non eſt ſimplex emiſſio e nubibus, e fontibus, ex alveis, verum etiam effuſio, quæ fit admiſſis veluti habenis, omnique freno ſoluto, ut quaqua verſum diluviem ſtragemque ferant.* III.) V. D. ex gr. CODURCUS, PISCATOR *ad h. l. Tom. III. p. m.* 15. GROTIUS *ad h. l. op. Tom. I. p.* 204. & SCHEUCHZERUS *Jobi Phyſica Sacra p. m.* 24. pluviam hoc loco conſiderant ceu ſignum favoris divini, ac ſymbolum benedictionis coëleſtis. Verum enimvero & antecedentia & conſequentia nobis potius ideam poënæ malis inflictæ ſuggerere videntur. Sed aurem mihi vellicat Doctiſſ. SCHULTENS, qui *ad h. l. p. m.* 145. cum SCHMIDIO, cujus tamen luxuriem ſeveriore falce vellet caſtigatam, hoc loco format allegoriam, qua inſinuatur, *pluvias & imbres divinæ gratiæ largiter defluere in humiles*, i. e. in ſuperficiem terræ, *& ſuper* faciem platearum, i. e. *plateæ inſtar calcatos a ſuperbis.* Contra quam vero ſententiam, ea, qua decet modeſtia, hæc monenda duxi. 1.) V. D.

 plane

plane quoad ſingula verba literam deſerit. Nec 2.) intelligere poſſumus pluvias gratiæ divinæ, beneficii adinſtar defluentis. Alias quidem pulchre ſcio, Orientales, imprimisque Arabes dona ac liberalitatem Dei æque ac hominum comparare cum nubibus atque pluvia. Vid. præter alios Cl. LETTE *Obſ. Phil. in auguſtiſſima Deboræ & Moſis cantica p. m.* 19. – 23. Nec 3.) nimio acumine provocare juvat ad dictum proverbiale Jeſ. LI. 23. quod & Arabes proferunt, ut quum ajunt: *inceſſit per colla hominum*, pro: *alios ſuperbo pede quaſi calcat.* Proverbium enim agnoſco etiam apud SCHULTENS *in Job. p.* 536. ex *Hiſt. Sarac. p.* 239. ubi *Calypha Abdolkerymus* ita loquitur:

*Quumque aſtra tangerem gloria & celſitudine*
*Et facta eſſent colla omnium populorum mibi ut lutum.*

Sed iſtis Arabum proverbiis inſunt ſubjecta, i. e. homines, qui vel quorum terga cum terra & plateis, calcatis a ſuperbis, conferuntur, ſed in noſtro loco ſimpliciter memorantur פני ארץ & פני חוצות. Deinde obſervandum iſtis proverbialibus dictis, homines, platearum inſtar a ſuperbis calcati, conſiderantur ceu *humi procumbentes terramque ore facieque prementes*, ſed Jobi phraſis: על פני / e contrario jubet

— *erectum ad ſidera tollere vultum.*

Nec 4.) Id ſatis clare docet ℣. 11. *ad collocandum humiles in excelſum; utque ſorditati ſublimentur ſalute.* Unde enim V. D. probat, ℣. 11. eſſe *explanationem allegoriæ præmiſſæ*, adeoque docere ℣. 10. *ſuperficiem terræ* & *faciem platearum eſſe homines humiles?* Nam ℣. 11. ſatis feliciter di-

divelli poteſt a præcedenti, quippe qui nullam, niſi ex hypotheſi V. D. neceſſariam connexionem cum ỿ. 10. habet: & omnino affirmare licet, ad aliud fieri tranſitum aut progreſſum (§. 12.) Sed demus Viro Docto, hos verſiculos connectendos eſſe, id tamen nondum allegoriam ỿ. 10. probat. Si enim Deus ỿ. 10. ſenſu proprio *dat pluviam & emittit aquas*, tamen dici poteſt, hoc factum eſſe *ad collocandum humiles in excelſum* &c. Id quod patet ex mea hujus loci expoſitione. Nam ex eo, quod Deus *Diluvium* ỿ. 10. *emiſerat ſuper faciem terræ*, Noachus, in oculis mundi *humilis* & *ſordidus*, *collocabatur in excelſum* ỿ. 11. *loco*, ut verbis utar cel. SCHULTENSII ad h. l. *excelſo*, *tuto*, *arce invicta*, *arce ſalutis*, en Noachum in arca, utpote loco tuto.

## *HISTORIA ABRAHAMI.*

### §. 10.

Gen. XVIII. 25. Abrahamus ad Deum ita: חללה לך *abſit a te, ut morti tradas juſtum cum injuſto. Judex totius terræ* לא יעשה משפט *non ſic judicabit*. Sic Job. XXXIV. 10. חללה לאל מרשע & ỿ. 12. *Deus non impie aget, nec omnipotens pervertet* משפט *judicium*. Conf. Job. IV. 7.

### §. 11.

Cap. XXXI. 32. בחוץ לא ילין גר דלתי לארח אפתח. Ita & Gen. XVIII. 1. 2. 3. *Abrahami*; & Gen. XIX. 1. 2. *Lothi* hoſpitalitas deſcribitur. Hinc & Jobi exemplum a WETSTENIO Diſſ. de hoſpitalitate, vent. præſide HOFMANNO 1697. Baſileæ

ſileæ §. XXV. laudatum eſt; omiſſum vero, quod mireris, a Cel. PFAFFIO Diſſ. *de Hoſpitalitate* 1752. vent. §. 6. *p. m.* 10. 11. ubi exempla hoſpitalitatis, in Sacris tabulis exſtantia recenſet.

## *HISTORIA PHARAONIS & EXITUS EX EGYPTO.*

§. 12.

Huc refero Cap. V. 11. – 15. Si ℣. 11. non conjungendum putas cum ℣. 10. (§. 9.) hunc hujus loci habeas ſenſum: *Ad collocandum humiles in excelſum, utque ſordidati ſublimentur ſalute*, ℣. 11. *fruſtatur* ℣. 12. *ſupputationes aſtutorum*, & adde ℣. 13. Sic Deus, *videns miſeriam* Iſraelitarum Exod. III. 7. & *angorem* ℣. 9. deſtruit Egyptiorum conſilium & caliditatem, partim cum Iſraelitarum maſculos delere tentarent Exod. I. & Pſ. CV. 25. partim vero cum perſequerentur Iſraelitas Exod. XIV. 3. 8. Jobus ℣. 14. addit: *interdiu impingunt in tenebras horrentes: & tanquam noctu palpant in meridie.* Id quod & accidit in Egypto Exod. X. 21. 22. quem locum cum Jobo confert Cl. SCHULTENS *p. m.* 148. Deinde & Exod. XIV. 19. 20. columna ſe media inter Iſraelitas & Egyptios interponebat, ut his meræ eſſent tenebræ, illis vero clara affulgeret lux. Ad ℣. 15. Cl SCHULTENS *p.* 148. ita: *impeditior nexus.* Sed meo periculo ו per *ſed* redde, & cognoſces oppoſitionem Iſraelitas inter & Egyptios: וישע *ſed ſalvum præſtat egenum:* quod ſæpius de Iſraelitis legimus Liberat vero מחרב מפיהם ומיד *a gladio, ab ore eorum, & a manu.* SCHULTENS ad h. l. figuratum & improprium gladium, ex ore exeuntem intelligit, utpote qui aptior ſit ſeriei antecedenti, ubi de-

deſcripti erant ſapientes aſtuti; quam gladius proprie dictus, quo tyranni ſæviunt. Sed non eſt, cur a litera recedere velis. Egyptii erant aſtuti & ſimul tyranni validi atque potentes, ſed Deus liberat מחרב ומיד ab illorum *gladio* & *manu*. Ita enim Exod. XV. 9. hoſtis exclamat: *ſtringam* חרבי *gladium meum*, ידי *manus mea illos ad priſtinum reducet jugum*. Sed quid jam eſt מפיהם *ab ore eorum?* SCHULTENS ita: *Si quis gladium proprie dictum mallet, os gladii ſumere deberet pro acie, hoc pacto: & vindicat a gladio, ab acie inquam eorum* &c. & hic ſenſus, judice V. D. non eſt abhorrens a vero. Sed & verba ſimpliciter reddere poſſumus: *a gladio, ab ore eorum*. Egyptii enim cum violentia manuum & inſolentiam verborum conjunxerunt. Jobus addit: *a manu* חזק i. e. Pharaonis (Obſ. ad Jeſ. XL. §. 9.) ℣. 22. 23. ſimiles ferme, obſervante ex MERCERO SCHULTENSIO, cum Pſ. XCI. promiſſiones continent, & ad Iſraelitas referri poſſunt. Vid. Obſ. ad Jeſ. XL. §. 6.

§. 13.

Huc & trahere poſſes Cap. XXI. 8.—30. ℣. 8. *Semen eorum ſtabile cum ipſis, eorumque progenies ante oculos ipſorum*. Aſt Iſraelitæ Exod. 1. Infantes abſcondere debebant. ℣. 9. *Domus eorum pax, absque pavore: & nulla Dei virga ſuper ipſis*. Iſraelitæ vero dura experiebantur fata. ℣. 12. *vociferantur & lætantur*. Sed Iſraelitæ præ anguſtia ſpiritus Exod. VI. 8. nihil audiverunt. ℣. 15. מה שדי *quid eſt omnipotens*. Ita & loquitur Pharao Exod. V. 2. מי יהוה *quis eſt Jehova*. ℣. 18. *fiunt* כתבן לפני רוח *ſicut palea ante ventum*, וכמוץ *utque gluma quam furatur turbo*. Id & convenit

venit Egyptiis (Obſ. ad Pſ. I. §. 7.) ỳ. 19. *Deus recondidit filiis ejus iniquitatem ejus.* Sic perierunt omnes in Egypto primogeniti. Jobus addit: וידע *& experiatur.* Ita & Exod. XIV. 18. וידעו מצרים Cel. SCHULTENS in Job. *p. m.* 562. recte obſervat, apud Hebræos & Arabes nil frequentius hac formula, *cognoſcent* i. e. poënam vel malum. Sed & aliam obſervationem addere, & hæc ex ỳ. 15. illuſtrare poſſumus. Scil. ỳ. 15. interrogant מה שדי/ ſed jam *cognoſcent* eſſe שדי. ỳ. 22. *Deus excelſos judicat.* Cel. SCHULTENS *ad h. l. p.* 569. contendit, *celſos* ſeriei præſenti minime aptari poſſe. Sed id quam maxime fieri poteſt, ſi in hac admittimus Deum; qui excelſos i. e. Pharaonem, ejusque duces judicat.

## *HISTORIA SERPENTUM URENTIUM.*

### §. 14.

Cap. XX. 16. *occidet eum lingua viperæ:* & Num. XXI. 6. *immiſit Jehova in populum ſerpentes, & ita moriebatur populus.* Apud Jobum ỳ. 17. additur: *Ne videat rivos fluviorum torrentium mellis atque butyri:* ad h. l. *Tom. III. p. m.* 50. recte PISCATOR: *Sic terra Canaan paſſim dicitur fluere lacte & melle:* ex. gr. Deut. XI. 9. Sic & Jobi XL. 23. *Jordanis* nomen legimus, unde Jobo Canaanem non prorſus ignotam fuiſſe conjicimus.

## *HISTORIA KORAH, DATHAN & ABIRAM.*

### §. 15.

Ad hanc improborum turbam forſan reſpicitur

Cap.

Cap. XX. 26.—28. ℣. 26. *conſumet eum ignis, & depaſcetur reſidium in tentorio ejus.* Hoc & Num. XVI. 35. factum. ℣. 27. *revelabunt coëli iniquitatem ejus.* Id & Num. XVI. 31. 32. Deus peregit. ℣. 27. *terra inſurget in eum.* Sic terra aperuit os ſuum, & devoravit illos Num. XVI. 31. 32. Nec adeo apud Jobum ℣. 27. per *terram* cum Drusio *ad h. l Bibl. Crit. Tom. II. p.* 739. intelligo *terram inhabitantes*; quaſi eſſet continens pro contento. ℣. 29. *hæc portio hominis* רשע *improbi à Numine & hæreditas* אמרו *verborum ipſius a Deo.* Sic illi *impii* dura locuti ſunt contra Deum & Moſen Num. XVI 3. 13. 30. Ut adeo non opus ſit, vel cum Drusio *ad h. l.* per Sermonem ipſum intelligere hominem; vel cum Cl. Schultensio *ad h. l. p.* 543. 544. אמרו reddere *res* vel *negotia* ipſius.

## §. 16.

Coronidis loco obſervo Cap. XXXIV. 18. האמר למלך בליעל plane convenire cum verbis *Simei* 2 Sam. XVI. 8. ad Davidem Regem dicentis: צא צא איש הבליעל. Quæ *Simei* forſan ex Jobo deſumſit, niſi cum Grotio Prol. in Job. affirmare malles, ex Davidis & Salomonis libris & ſententias & loquendi quædam genera ad librum Jobi fuiſſe translata.

## PSAL. I.

§. 1.

Hoc Pſalmo Fragmenta hiſtoriæ exitus ex Egypto reperire, aliasque obſervationes addere liceat.

§. 2.

℣. 1. Eruditi triplicem obſervat. αὔξησιν. Vid. Cel. Lampe *Not. Exeget. ad b. l. Miſcel. Groning. Tom. III. p.* 4 5. Tertia αναβασις reperitur in actionibus peccatoris: *ambulat*, *ſtat*, *ſedet*. Id quod jam ſuo tempore S. Optatus, hunc locum Donatiſtis applicans, eleganter obſervavit *lib. II. de Scbismate Donatiſtatarum p.* 35. Edit. Pariſ. 1702.

§. 3.

℣. 1. אשרי האיש. Ita & Moſes Deut. XXXIII. אשריך ישראל. Hinc & Pſ. CVI. agens de Iſraelitarum exitu ex Egypto, ſtatim ℣. 2. exhibet το אשרי. Heic mihi ὁμοψήφους laudare liceat Judæos in מדרש תהלים ad h. l. *David benedicit Iſraeli ſicut Moſes* Deut. XXXIII. *Moſes eduxit Iſrael ex Egypto, David de ſervitute Regnorum.*

§. 4.

℣. 1. additur: *in conſilio impiorum* רשעים *non ambulat.* רשעים ſunt commoventes ſeſe, irrequieto modo jactati, turbulenti, ut ex S. S. locis & lingua Arabica poſt Cl. Schultensium probavit

vit Cel. Vriemoet *annot. ad Dicta Claſſica Tom. I. p.* 284. *ſeq.* Hinc recte τὸ *ambulare* & רשעים conjunguntur, quemadmodum & Jeſ. LVII. 20. eleganter dicuntur *mare*, *quod quieſcere neſcit.*

§. 5.

℣. 2. ובתורתו יהגה יומם ולילה. Sic & Deus Joſ. I. 8. והגית בו יומם ולילה. Huc & refer Judæos, in מדרש תהלים *ad h. l.* hæc verba conferentes cum Joſ. I. Chriſtiani quidem Interpretes, ex. gr. Sennertus *in Pſ. I. p. m.* 35. hoc Pſalmo eandem ac in Joſua phraſin obſervarunt, ſed de egreſſu ex Egypto ne cogitarunt quidem. Pſaltes ℣. 3. addit: וכל אשר יעשה יצליח. Idem promittitur Joſ. I. 8. אז תצליח את דרכך & ℣. 9. כי עמך יהוה אלהיך בכל אשר תלך.

§. 6.

℣. 3. *Erit ſic arbor plantata.* Sic Exod. XV. 17. *plantabis eos in monte Sanctitatis.* Ceterum עץ proverbialibus vel allegoricis Arabum dictis urſurpatur pro *corpore hominis*, ut pluribus oſtendit Cel. Schultens in Job. XXIV. 24. *p. m.* 689.

§. 7.

Verum impii כמץ אשר תדפנו רוח ℣. 4. Et de Egyptiis legimus Exod. XV. 10. נשפת ברוחך/ adeoque erant כקש Exod. XV. 7. Hinc Joh. Arndt. *Conc. in Pſ. I.* 4. *p. m.* 6. recte & ordine Pharaonis exemplum allegat.

§. 8.

ỳ. 6. *Novit Jehova viam juſtorum*, i. e. Iſraelitarum, *ſed via impiorum*, h. e. Egyptiorum *peribit*. Conf. Exod. XIV. 21. – 30. Ceterum oſtendente Cel. SCHULTENSIO *de Defect. Ling. Heb.* §. 217. ſeq. prima notionis *juſtitiæ* origo apud Arabes ipſosque Hebræos ſita erat in *recto*, *rigido*, quod *inflexibile*, & in *neutram partem declinans*. Hinc eleganter *via* his juſtis adſcribitur, quia nec dextrorſum nec ſiniſtrorſum declinant. Jeſ. XXX. 21.

§. 9.

Exſpectamus vero avide in hunc Pſalmum Commentarium Cel. Jo. CASIM. MIEGII Profeſſoris apud Herbornenſes celeberrimi.

PSALMUM XXIII.

§. 1.

Verſ. 1. יהוה רעי *Jehova paſcens me*. Egrediente ex Egypto populo, non tantum aderant רעה צאנו *paſtores gregis ejus*, i. e. Dei, ſed & ipſe Jehova ducebat eos ut paſtor Jeſ. LXIII. 11. 13. 14. Hinc dicitur רעה ישראל נהג כצאן יוסף *paſtor Iſraelis ducens tanquam gregem Joſeph* Pſ. LXXX. 1.

§. 2.

Additur ỳ. 1. לא אחסר *non indigebo*. GEIERUS ad h. l. *p. m.* 358. recte confert illud Moſis Deut. II. 7.

II. 7. לא חסרת דבר *nihil tibi defuit.* Et in מדרש תהלים ad h. l. *Iſrael in deſerto non egebat veſte,*

§. 3.

℣. 2. ינהלני *ducit me.* Sic Exod. XV. 13. נהלת *ducis populum.* Pſaltes addit: *ad aquas.* Nec aqua in deſerto deerat populo,

§. 4.

℣. 3. ינחני *ducit me.* Sic, obſervante ad h. l. GEIERO *p. m.* 359. נחה adhibetur de Deo, Iſraelitas per columnam nubis ducente Exod. XIII. 21. Neh. IX. 12. 19.

§. 5.

℣. 3. additur: למען שמו. Ita & omnia in deſerto contigerunt למען שמו Pſ. CVI. 8. לעשות שם עולם Jeſ. LXIII. 12. vel, ut ℣. 14. legimus: לעשות שם תפארת.

§. 6.

℣. 4. לא אירא *non timebo.* Sic Moſes ad populum Exod. XIV. 13. אל תיראו / & adde verba Dei Joſ. I. 9.

§. 7.

℣. 4. כי אתה עמדי *quia tu mecum es.* Sic Deus ad Joſuam Cap. I. 9. כי עמך יהוה / & Moſes ita: יהוה אלהיך עמך Deut. II. 7.

§. 8.

§. 8.

℣. 4. *Virga tua & baculus tuus conſolantur me.* Hæc referenda duco ad baculum Moſis, quo conſolabantur Iſraelitæ Exod. XIV. 16. quique non tantum baculus Moſis, ſed & baculus *Dei* audit Exod. XVII. 9. Ne vero quis putet, hoc eſſe εὕρεμα luxuriantis ingenii, evolvat mecum Mich. VII. 14. *paſce populum tuum baculo tuo:* & ſtatim ℣. 15. additur: *ſicut tempore egreſſionis ex terra Egypti.*

§. 9.

℣. 5. תערך שלחן *præparas menſam.* Iſraelita dicebant: *num poterit Deus* לערך שלחן præpara *menſam in deſerto.* Pſ. LXXVIII. 19. Hinc in מררש תהלים ad h. l. menſam explicant per *Manna.*

§. 10.

℣. 6. *Habitabo in domo Jebovæ.* Conf. Exod. XV. 17. Pſaltes addit: לארך ימים *in longitudinem dierum.* Quæ eſt ipſiſſima decalogi phraſis Exod. XX. 12. למען יארכון ימיך.

## PSAL. XXXV.

§. 1.

Verſ. 1. לחם את לחמי *pugna cum iis, qui pugnant mecum.* Sic Moſes: יהוה ילחם לכם *Jebova pugnabit pro vobis.* Exod. XIV. 14.

§. 2.

§. 2.

℣. 2. קומה *ſurge*. Si caſtra movenda erant, Moſes exclamat: קומה יהוה Num. X. 36.

§. 3.

℣. 3. *Interclude* viam *in occurſum perſequentium me.* Id quod accidit Exod. XIV. 19-20. David pergit: *Dic animæ meæ* ישעתך אני *ſalus tua ſum.* Sic Iſraelitæ viderunt את ישועת Exod. XIV. 13. ויושע יהוה את ישרעל Exod. XIV. 30. Atque hinc Exod. XV. 2. dicunt: ויהי לי לישועה.

§. 4.

℣. 5. יהיו כמוץ לפני רוח *ſint ut gluma coram vento.* Conf. quæ ſupra ad Pſ. I. §. 7. diximus David addit: & *angelus Jehovæ* מלאך יהוה *impellat eos* ℣. 5. 6. Ita & מלאך האלהים *Angelus Dei* Exod. XIV. 19. *perſecutus eſt Egyptios* Exod. XIV. 24. 25.

§. 5.

℣. 5. *Viæ eorum tenebræ.* Haec refer ad tenebras Egyptiacas Exod. X. 22. & adde Exod. XIV. 20.

§. 6.

℣. 10. יהוה מי כמוך *Jehova quis ſicut tu.* Quæ verba & occurrunt Exod. XV. 11. מי כמכה.

§. 7.

§. 7.

Hæ jam, quæ de hoc Pſalmo diximus, confirmat aliquo modo *Chaldæus*, qui putat heic eſſe oden factam nomine Iſraelitarum in deſerto.

# PSAL. LXXXIII.

§. 1.

Verſ. 2. אויביך ומשנאיך *inimici tui & odio habentes te.* Eadem phraſi deſcribuntur hoſtes Dei Num. X. 36.

§. 2.

℣. 5. 6. *Contra populum tuum callide inierunt Conſilium. Dixerunt: ſuccidamus eos de gente, & ne memoretur nomen Iſraelis ultra.* Idem contra inierunt Egyptii Exod. I. Pſ. CV. 25.

§. 3.

℣. 15. בקש לפני רוח ſicut *ſtipula coram vento.* Sic & Egyptii erant בקש Exod. XV. 7. Ceterum miram hujus ultimi loci emphaſin annotare liceat. Populus enim Iſraeliticus antea ex mandato Egyptiorum colligebat קש *ſtipulam* Exod. V. 12. Sed jam ipſi Egyptii ſunt בקש Exod. XV. 7.

§. 4.

℣. 16. *Perſequere eos tempeſtate, & turbine tuo terre*

*terre eos.* Id quod fecit Egyptiis Exod. XIV. 24. 25. & Exod. XV. 10.

§. 5.

✝. 19. וידעו כי אתה שמך יהוה *& cognoſcant, quod tu ſis, cujus nomen Jehova.* Ita Deus de Egyptiis Exod. XIV. 4. וידעו כי אני יהוה / ac Iſraelitæ canunt יהוה שמו Exod. XV. 3.

## ECCLES. I. ✝. 1.

§. 1.

Salomo dicitur בן דוד / & quidem his ex cauſis. 1.) Glorioſum eſt piis ſatum eſſe parentibus. Hinc Judæi ex Abrahamo vocantur *ſemen Abrahami*; ex Iſraele, *Iſraelitæ*. 2.) Harduini Judicio *Op. Selec. p.* 523. Joſephus Matth. I. 20. υἱὸς Δαβίδ nuncupatur, ut ſolus intelligatur fuiſſe filius & hæres Davidis, ac proinde primogenitus ex primogenitis, vel ex iis, qui primogenitis ex jure ſucceſſiſſent. Si hæc Salomoni applicantur, en heredem & ſucceſſorem legitimum Davidis. 3.) Si Salomonem ut Regem conſideramus, hæc denominatio ſua non caret emphaſi. In Sacro enim codice pii ſemper Reges conferuntur cum Davide, cui impii opponuntur. Quo atro etiam carbone peccans noſter notatur Salomo 1 Reg. XI. 6. *non plene ſequebatur Jehovam, ſicut pater ejus.* Salomo igitur, ſeſe vocans *filium Davidis*, pœnitentem ſeſe ſiſtit, iterumque veſtigia patris prementem. Sed 4.) phraſis בן דוד adhuc altiora ſpirat.

 Maxi-

Maximi videlicet honoris loco reputabant V. T. fideles, quod Meſſias proditurus ſit κατα σαρκα ἐξ Ιȣδαιοις Rom. IX. 5. Iſtudque privilegium primo omnium erat Iſraelitarum; deinde tribus Judæ; ac tandem ſpeciatim familiæ Davidis. Qui igitur filius Davidis, ſimul ſanguine junctus erat Meſſiæ. Ac Salomo heic eodem cum Meſſia nomine gaudet, qui & ipſe eſt υἱος Δαβιδ Matth. I. 1. ἡ ῥιζα και το γενος του Δαβιδ Apoc. XXII. 16. Hominesque exclamabant: ἐλεησον Κυριε, υἱε Δαβιδ Matth. XV. 22. Adeoque Salomo noſtro loco publice de ſua in Meſſiam fide teſtatur, quippe qui *vanitatem* de qua ℣. 2. loquitur Salomo, removere, & in ævum duratura bona nobis impetrare poterat.

§. 2.

Deinde dicitur מלך בירושלם. Hieroſolyma Metropolis totius erat regni; & hinc facile phraſis explicatur. Sed hæc non ſufficiunt interpretibus, in alias hujus denominationis rationes anxie præterea inquirentibus. Sic jam & aliquid tentandum phraſin מלך בירושלם derivarem ex ſententia divina, in Salomonem peccantem dicta 1 Reg. XI. 11. *lacerabo hoc regnum a te*, i. e. *a filio tuo* ℣. 12. *Sed totum hoc regnum non lacerabo, tribum unam dabo filio tuo, propter Hieroſolymam, quam elegi* ℣. 13 His ſuppoſitis, Salomo ſeſe non nominat *Regem Iſraelis & Judæ*, ſed tantum מלך בירושלם, quaſi diceret: Deus laceravit regnum a me & poſteris meis, relicta tantum tribu Juda, ſum מלך בירושלם. Hinc ℣. 12. addit: אני כהלת הייתי מלך על ישראל *fui Rex Iſraelis.* Quemadmodum vulgo dicitur: *fuimus Troës.*

E C-

## ECCLES. VIII. 11.

§. 1.

על כן מלא לב *propterea impletum eſt cor ad faciendum* malum. Convenit phraſis in libro MS. מטה אלהים dicto, apud Triglandium *de Secta Karæorum p.* 13. ubi ita: *Simeon Ben Setacb alteram legem noviter induxit*, כאשר מלאו אז לבו *prout tunc impletum eſt cor ejus.* Ceterum Salomo, qui ſupra Cap. VII. 30. digito quaſi intento Adamum notaverat, cum heic dicat, *ideo, quod non ſtatim fiat judicium impletum eſſe cor* בני אדם *filiorum Adami*, reſpicere videtur ad Adamum: is enim cernens, mulierem comedentem fructum non ſtatim mori, i. e. *non ſtatim fieri judicium*, etiam comedit, h. e. *cor ejus impletum eſt ad faciendum malum.* Nec obſtat ה omiſſum. Exempla enim *Adami* ſine ה expreſſi videantur Gen. II. 20. III. 17. V. 1. 2.

## J E S. XXXII. 3.

### DE

### *OCULIS NON VIDENTIBUS ET AURIBUS NON AUDIENTIBUS.*

§. 1.

Tota hujus capitis pericopa reſpicit N. T. tempora. Grotius quidem ad ℣. 1. *Op. Theol. Tom. I. p.* 303. ſcribit: *Ezechiæ futuras virtutes prædicat, ut ſupra IX. 7.*; non tamen ideo ſtatim Vir Summus damnandus erit, quaſi nullibi apud Prophetas cerneret Chriſtum. Evolvamus quæſo Ipſius comment. ad Jeſ. IX. ibid ad ℣. 6. *p. m.* 281. docet, *hæc multo excellentius ad Meſſiam pertinere, & in Chriſto*, ut ad ℣. 7. *p.* 282. addit, *habere ſignificationem multo ut auguſtiorem, ita & planiorem.* Adeoque Jeſ. XXXII. Meſſiam non excludit, ſed potius cum Cel. Vitringa ſenſum literalem Iſraelitarum Regi; myſticum vero Chriſto applicat.

§. 2.

Inter alia jam hæc Propheta ℣. 3. habet: ולא תשׁעינה עיני ראים ואזני שׁמעים תקשׁבנה. Offendit interpretes apparens contradictio, qua videntes non videre dicuntur. Longum foret enarrare omnes hujus loci interpretationes; videamus tantum recentiores.

§. 3.

§. 3.

Joh. Christ. Loersius Cel. non ita pridem in Academia Duisburgenſi Doctor, *Miſcel. Duisb. Tom. II. p.* 585. ſeq. obſervat ראה eſſe *videre* in genere; שעה vero *videre cum delectatione.* Et hinc locum ita reddit: *non videbunt cum delectatione* Meſſiam, *qui oculis* carnis *eum viderunt:* ואזני *ſed aures audientium auſcultabunt.* Et inde docet in divinis auditum præſtare viſui, quia fides ſit ex auditu & non ex viſu. Et quod ultimum attinet conferri poteſt Falsterus *amoenit. Phil. P. I. Quæſt. XXI. Viſusne an Auditus præſtantior? p. m.* 81.

§. 4.

Noviſſime vero hanc Cel. Loersii expoſitionem profligavit Cl. Ferd. Stoschius *Program. de Eccleſia N. T. Prophetis non indigente ad Jeſ.* XXXII. 3. Lingæ 1748. ac verba potius ſic reddit: ולא תשעינה עיני ראים *Prophetæ viſiones non habebunt:* ואזני שמעים תקשבנה *ac Prophetæ nullas amplius revelationes auribus percipient.*

§. 5.

Viro quidem Doctiſſimo concedimus 1.) Eccleſiam jam non amplius indigere Prophetis. 2.) hanc expoſitionem a genio linguæ ſanctæ non adeo eſſe alienam. Hinc ipſe jam Grotius *ad b. l.* per ראים intelligit Prophetas, & Cel. Schultens in Job. XLII. 5. *p. m.* 1220. ſcribit: שמע אזן *auditio auris deſignare videtur revelationem.* Nonnulla tamen dubia ſupereſſe videntur. Et quidem 1.) negari

gari nequit, initio N. T. extitiſſe adhuc Prophetas atque revelationes. 2.) Nemo etiam Jeſajæ ævo veritatem, quam hoc loco V. D. quæſivit, inde elicere potuiſſet. Altera enim manu concederet Prophetas: *& oculi Prophetarum &c.* altera vero manu negaret: *non habebunt revelationes Propheticas.* Si Jeſaias id, quod V. D. vult, intendiſſet, clarius utique dixiſſet: *non erunt ulterius Prophetæ.*

§. 6.

Sed quicquid ſit! Si cogitemus ſæpe ἐλλειπειν ה interrogativum, verba reddere poſſumus: *annon viderent oculi videntium?* ut adeo, quod ſæpius fieri amat לא idem eſſet ac הלא.

§. 7.

Sed forſan etiam verba explicanda ſunt ut ſonant: *oculi videntium non videbunt, & aures audientium non auſcultabunt.* Tale enim loquendi genus ubivis occurrit. Sic ex. gr. Philo *lib. II. Alleg. p. m.* 94. *E.* de ebriis ita: ὁρωντες ὀυκ ὁρωσι, και ἀκουοντες ὀυκ ἀκȣȣσι. De *oculis non videntibus jam hæc* occurrunt. Haririus, celebris apud Arabes Scriptor, *Conſ. I. p.* 22. ita: *ob oculos tibi propoſitum eſt, ſed ſimulaſti te coecum.* In הגיגה apud Raymund. *Pug. Fidei p. m.* 562. ר׳ יוסי *R. Joſe* dixit: אוי להן לבריות שרואות ואין יודעות מה הן רואות *Væ creaturis quæ vident, & neſciunt quid vident.* De *auribus* vero *non audientibus* hæc ſeſe offerunt. Philo *lib. quis rerum divinarum hæres p. m.* 483. *A.* ita: ὁις ὠτα μεν ἐςιν, ἀκοαι δε ὀυκ ἐνεισιν *aures habent cum auditu careant.* Auditus enim non ſufficit. Hinc legimus in הגיגה *fol.*

3. 2.

3. 2. עשה אזנך כארפכסת וקנה לך לב שומע *fac aurem tuam inſtar inſundibuli, & compara tibi cor obſequens.* Et Abarbanel in נהלת אבות *fol.* 100. 1. אשרי המדבר על אזן שומעת *beatus, qui loquitur auri audienti.* Apud alios etiam Prophetas idem videre eſt. Jer. V. 21. Ezech. XII. 2.

§. 8.

Id & tempore Meſſiæ contigit Matth. XIII. 14. Marc. IV. 12. Luc. VIII. 10. Joh. XII. 40. Act. XXVIII. 26.

§. 9.

Hac ratione demum elegans apparet oppoſitio inter ỿ. 3. & 4. *Sed cor ſtultorum intelliget ſcientiam, & lingua balborum velociter loquetur.* Adeoque hæc plane conveniunt cum verbis Chriſti Matth. XI. 25. ἀπεκρυψας ταυτα ἀπο σοφων και συνετων, en oculi videntium non vident! &c. και ἀπεκαλυψας ἀυτα νηπιοις. Ecce balbos, ecce ſtultos intelligentes!

§. 10.

Cel. quidem Stoschius loc. cit. §. ult. ex eo hanc explicationem rejicit, quod hoc loco benigniſſima adſit promiſſio, quæ ſpectet Meſſiæ conſortes. Sed id ex mera V. D. hypotheſi affirmatur. Promiſſiones quidem benigniſſimas hoc capite cerno, inde tamen non ſequitur illas & occurrere ỿ. 3. Moris enim eſt in S. Literis, promiſſionibus jungere cominationes, & proſperrimum Eccleſiæ ſtatum opponere calamitati hoſtium. En exemplum in ipſiſſimi hujus capitis ỿ. 18, 19.

## DE

## *GLORIA JEHOVÆ MANIFESTANDA.*

§. 1.

Exitus ex Egypto procul dubio denotabat ſpiritualem, Novi Teſtamenti tempore per Meſſiam acquirendam, redemtionem. Id quod nec ignotum Mohammedanis. Verba enim Deut. XXXII, 2. *exortus eſt Jehova* מִשֵּׂעִיר/ explicant de Meſſia, & dicunt, *adventum Dei in Sair ſignificare Meſſiam cum Evangelio.* Vid. Cel. Vriemoet *annot ad dicta claſſica Tom. II. p. m.* 73. Ut adeo non ſit, cur in horum Mohammedanorum verborum cauſas atque rationes anxie inquiramus. Quicquid ſit! Ex Jeſ. XL. ulteriorem & confirmationem & illuſtrationem hujus aſſerti polliceri omnino poſſumus.

§. 2.

Gloria Jehovæ כבוד יהוה ✡. 5. illuſtranda eſt ex columna nubis & ignis. Quod & Cel. Vitringa *ad h. l. p. m.* 422. verbulo indicare videtur, ſed reliquis hujus Capitis verſiculis lucem inde accendere oblivifcitur. Videamus igitur hæc paulo diſtinctius.

§. 3.

Cum hac enim nube *Gloria Domini* ſemper erat conjuncta, conf. Buxtorfius *Exercit. ad Hiſt. arcæ Foederis p. m.* 119. Hasæus *Diſſer. Syll. p. m.* 142. §. 6. Id quod & noviſſime contra Cl. *Thale-*

*Thalemannum* monuit Cel. Jo. Eberhard. Ravius, Vir his in rebus utique exercitatiſſimus, *Diſſ. pro Nube ſuper arcam foederis*, Herbornæ 1757. edita, *p.* 16. § *IV*. Aſt כבוד יהוה apud Jeſajam non tantum reſpicit in genere columnam nubis & ignis, ſed quatenus ſeſe manifeſtavit Iſraelitis educendis & jam eductis ex Egypto. Huc enim nos antecedentia & conſequentia manu quaſi ducunt.

§. 4.

℣. 1. 2. dicit Deus: *Conſolamini populum*, *Loquimini ad cor Hieroſolymæ*. Sic Moſes ex mandato divino Iſraelitis annuntiabat verba conſolationis plena Exod. III. & IV. Ceterum de *modo loquendi ad cor* non ita pridem Tubingæ elegantiſſima prodiit diſſertatio.

§. 5.

℣. 2. בלאה צבאה *expletum eſt definitum tempus luctus*. Metaphora, obſervante ad h. l. Vitringa *p. m.* 413. ſumta a mercenario, qui moleſtam obiit ſtationem. Et hæc refero ad definitum ſervitutis Egyptiacæ tempus Gen. XV. 13. 16. quo Iſraelitæ ſæviſſimis moleſtiis atque laboribus premebantur Exod. I. 14. Ac illo demum tempore impleto exiit populus Exod. XII. 40. 41. Hujusque rei quid perſpexerunt LXX. Jeſ. XL. 2. reddentes: ὅτι ἐπλήσθη ἡ ταπείνωσις αὐτῆς: quam phraſin & de ſervitute Ægyptiaca adhibent Gen. XV. 13. καὶ ταπεινώσουσιν αὐτούς.

§. 6.

*Omnis Vallis attolletur, & omnis mons & collis deprimetur &c* ℣. 4. & quidem propter *manifeſtationem gloriæ Domini* ℣. 5. Interpretes hæc vulgo ex Principum Regumque pompa illuſtrant. Neque tamen *columna nubis & ignis* omittenda videtur, qua Deus & Regiam manifeſtavit gloriam Exod. XV. 19 יהוה ימלך לעלם ועד. Nam præeunte hac columna terra movebatur Jud. V. 4. 5. Pſ. LXXIII. 8. 9. Pſ. CXIV. 6. (*), & *montes exultaverunt ut arietes; colles ſicut agni ovium.* Pſ. CXIV. 4. 5. Sic & alibi circa Meſſiæ tempora Deus *commovebit coëlos & terram, mare & aridam.* Hag. II. 7. 8. coll. Heb. XII. 26. 27. Ceterum hac de re ſupereſſe videntur reliquiæ κατηχήσεως Patrum in מדרש ילקוט שמעוני *P. I. fol.* 68. *col.* 3. & *fol.* 107. *col.* 3. ubi docent, illam columnam *hoſtium pellere ſagittas, illiusque ope omnes ſerpentes & ſcorpiones exſtinctos, ac altiora loca depreſſa fuiſſe, ut Iſraelitis plana pateret via.* Ad hanc Judæorum traditionem forſan referres Pſ. XCI. Nam ℣. 1. 2. 3. ſedet ſub tegmine tutus, en columnam nubis tegentem pios. Hinc ℣. 5. 7. non timet hoſtium *ſagittas.* Loca altiora ſunt plana, ne *offendat ad lapides pedem* ℣. 12. Nec quicquam nocent *ſerpentes* atque *dracones* ℣. 13. En idem in diſcipulis Chriſti privilegium Marc. XVI. 18.

§. 7.

---

(*) Hoc ex loco Cel. SCHILLINGIUS probat, diviſionem maris rubri ex terræ motu derivandam eſſe, in *obſerv. de terra motu*, in Intelligentiis, ut vocantur Duisb. 1756. No. XXIV. §. XL.

§. 7.

℣. 7. *gramen exareſcere* dicitur כי רוח יהוה נשבה בו. Sic. Exod. XV. 10. נשפת ברוחך/ & hinc Egyptii erant כקש *ſicut ſtipula* Exod. XV. 7.

§. 8.

℣. 9. *Zion & Hieroſolyma* מבשרת. LXX. ὁ εὐαγγελιζόμενος. Adeſt enim εὐαγγέλιον, bonum nuncium Græcis denotans partim de nato filio, partim de victoria reportata. Priori ſenſu & occurrit *Surat. XV.* 54. ubi Abrahamus læto filii naſcendi nuncio adfectus, ſic loquens introducitur: *an evangelizatis mibi, quum me tetigerit ſenectus.* Heic vero utrumque ſenſum conjungere licet. Totum enim caput agit de tempore N. T. quo filius nobis datus, quique ſimul hoſtes profligavit ℣. 10. Propheta ℣. 9. pergit: אל תיראי הנה אלהיכם. Eodem modo Moſes ad Iſraelitas: אל תיראו Exod. XIV. 13.

§. 9.

℣. 10. אדני יהוה בחזק יבוא/ quæ verba Cel. Vitringa *p. m.* 429. recte & ordine reddit: *adverſus robuſtum venit*, ac *p. m.* 430. de variis heic cogitat tyrannis &c. Si vero V. D. obſervaſſet, perpetuam ad liberationem ex Egypto eſſe alluſionem, *Pharaonem* non omiſiſſet, cui & adſcribitur חיל *exercitus* atque *robur* Exod. XV. 4. Ceterum חזק/ quæ docta Rhenferdii eſt obſervatio, quamque & Cl. Schultens *Comment. in Jobum p. m.* 149. ex noſtro loco probat, eſt *robuſto brachio præditus*, cui robuſtius tamen brachium admovendum dicit Jeſajas: וזרעו משלה לו

*ſed*

*ſed brachium Dei dominabitur ei.* Sic Pharao: תורישמו ידי Exod. XV. 9. Sed dextra Dei fortior Exod. XV. 6. Cui & Exod. XV. 16. adſcribitur גדל זרוע.

§. 10.

ỷ. 11. *Ut paſtor gregem paſcet.* Huc refer, quæ jam ad Pſ. XXIII. §. 1. diximus. Propheta addit: ובחיקו ישא *ſinu portabit.* Sic Moſes Num. XI. 12. *num dicere potes ad me* שאהו בחיקו *in ſinu tuo porta populum:* quippe quod ſolum Deo Deut. I. 31. competit. Jeſajas pergit: ינהל *leniter ducet;* Ita Exod. XV. 13. נהלת *ducis populum.*

§. 11.

ỷ. 24. בל נטעו *non plantantur:* ſed Iſraelitæ Exod. XV. 17. *plantantur in monte ſanctitatis.* Porro gentes ſunt קש / cui convenit Exod. XV. 7.

§. 12.

ỷ. 29. 30. 31. reſpicit itinera Iſraelitarum per deſertum. ỷ. 31. וקוי יהוה *exſpectantes Jehovam* ſunt ſecundum *Chaldæum* דסברו לפורקנא דיי *exſpectantes τὴν λυτρωσιν Jehovæ.* Et Cel. Vitringa *p. m.* 455. hunc locum recte confert cum Luc. II. 38. προσδεχεσθαι λυτρωσιν. Sic & Moſes Exod. XIV. 13. alloquitur populum: התיצבו וראו את ישועת יהוה *ſtate & videte ſalutem Jehovæ.* Propheta illos *aquilis* aſſimilat, quæ phraſis & certo modo de Iſraelitis in deſerto Deut. XXXII. 11. adhibetur. Jeſajas his verbis capiti finem imponit: *current & non fatigabuntur: ambulabunt & non feſſi erunt.* Apud Schultensium *in Job. p. m.* 307.

*Poëtæ*

*Poëta* inter Arabes celebris, gentisque ſuæ gloriam in Coelum evehens, ita canit:

*Non manus hebetantur, non haſta inflectitur:*
*Neque greſſus inter nos lapſabundi cæſpitant.*

§. 13.

Ceterum ὁ πανυ VITRINGA ad ✠. 31. *p. m.* 457. *non abſurdum putat*, ſi reſpicias ad *reduces ex captivitate Babylonica; ſed vere exiſtimat, Prophetam reſpexiſſe & ſibi ob oculos habuiſſe* κατα γραμμα *Heroes Maccabæos; ſed* κατα πνευμα *Heroes ſpirituales N. T.* Sed Vir Cel. ſecum frontibus adverſis pugnare videtur. Nam ad initium capitis *p. m.* 411. ſeq. pluribus probat, huic capiti unicum ineſſe ſenſum, ac Jeſajam tantum prophetare de temporibus Meſſiæ. Præſtat igitur, hæc quæ Meſſiæ agenda erant ævo, conferre, non cum liberatione ex captivitate Babylonica, utpote quæ adhuc futura erat; ſed quemadmodum fecimus, cum egreſſu ex Egypto.

## MALACH. IV.

§. 1.

Deus ipſe nobis in memoriam revocat exitum ex Egypto, & legislationem Sinaiticam. ✠. 4. ut adeo absque ulla hæſitatione inde noſtrum illuſtrare poſſimus Malachiæ caput.

§. 2.

## MATTH. IV. 11.

Angeli miniſtrabant ei.* Hier. Xaverius, in *hiſtoria Chriſti*, Perſice conſcripta & latine reddita a Lud. de Dieu, *p. m.* 134. hæc ſic enarrat: *eo tempore Angeli e Coëlo deſcenderunt, & cibum ipſi attulerunt.* Nec hæc cum Lud. de Dieu *p. m.* 598. reprehendenda ſunt: nam διακονεῖν Græcis indicat officium ſervorum, offerentium cibum. Hinc & hæc explicatio multis arriſit, ex. gr. Beausobrio *ad h. l.* Wolfio *Cur. Crit. ad h. l. p.* 75. 76. Piscatori *ad h. l. Comment. in N. T. p. m.* 21. Hammondo *ad h. l. p. m.* 16. aliisque. Et rationem petunt ex ℣. 2. quo dicitur: *poſtea eſuriit.* Verum & alia addere poſſumus. Chriſtus nempe Satanam tentatorem profligaverat, hinc Angeli Chriſto, tanquam Triumphatori cibum offerunt, quemadmodum Veteribus moris fuiſſe, vel *Melchiſedeci* exemplo patet Gen. XIV. Conf. & ibid. Interpretes. Ita & in S. Coëna accipimus *panem* & *vinum*, ut victores diaboli, mundi & carnis.

## MATTH. VI. 3.

*Ne ſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextra tua.* Ita & Arabes apud Pocockium *Not. ad portam Moſis p. m.* 277. loquuntur de illo, *qui cum eleemoſynam fecerit, eam celaverit, adeo ut non noverit ſiniſtra ipſius, quid expenderit dextra.*

## MATTH. XI. 25.

Revelaſti hæc νηπιοις. Sic *Sobar Geneſ. fol.* 74. *col.* 291. R. Simeon dixit: *Non eſt voluntas Dei T. O. M. ut hæc mundo revelentur. Cum vero appropinquabunt dies Meſſiæ, etiam pueri in mundo poterunt invenire abſcondita ſapientiæ, —— illo enim tempore hæc omnia revelabuntur.*

## MATTH. XI. 29.

Αρατε τον ζυγον μου. SCHOETTGENIUS *Horis Heb. ad h. l. p.* 115. ſeq. huc primo refert *jugum regni coëlorum.* His locis a V. D. citatis adde *Sobar Exod. fol.* 66. *col.* 262. ubi pericopam שמע & *jugum regni coëlorum* conjungunt.

## MATTH. XV. 26.

Ουκ εϛι καλον λαβειν τον αρτον των τεκνων, i. e. *Judæorum.* Ita in *Gem.* BERACOTH *fol.* 3. 1. Judæi, jam in exilio oberrantes, dicuntur בנים שגלו מעל שלחן אביהם *filii, qui a menſa patris ſui remoti ſunt.*

MATTH.

## MATTH. XVI. 17. 18. 19.

### §. 1.

Specimen Horarum Hebraicarum in Matth XVI. 17. 18. 19. jam 1754. in Collegio Sapientiæ, deſendente Sam. Mogyorosy *Hungaro*, privato commilitonum examini expoſui; quodque paulo poſt aliis meis obſervationibus auctum, *Amoenit. Academ. Tom. III. p.* 217.–226. inſeruit Cel. Clemmius. Sed certis ex cauſis idem ſpecimen denuo exhibere, & novis iterum obſervationibus, quas hæc („ „) nota indicabit, exornare animus eſt.

### §. 2.

Σαρξ καὶ αἱμα opponitur Deo ℣. 17. quemadmodum infra ℣. 23. τα του Θεου τοις των ἀνθρωπων. Hanc loquendi formulam & ſæpius adhibent Judæi. Locis a Lightfooto *Hor. Heb. ad h. l. Op. Tom. II. p.* 335. citatis nonnulla addere liceat.

In מדרש בראשית ad Gen. XLI. 1. לא כמדת הב״ה מדת בו״ר *non ſicut mos Dei O. M. eſt mos carnis & ſanguinis.*

In מדרש ויקרא ad Lev. XVII. 3. dicit Deus: *fuerunt* (ſcil. liberatores V. T.) בו״ר *Caro & ſanguis*, poſtea אני בעצמי גואל אתכם *Ego in ſubſtantia mea ſalvabo vos.*

In מדרש תהלים ad Pſ. IV. 2. varia de *carne* & *ſanguine* prædicantur, & ſemper additur: הב״ה אינו כן *Deus O. M. non ſic.*

Ibid. ad Pſ. XXI. 1. ſæpius מלך בו״ר *Rex carnis & ſanguinis* opponitur *Deo* & *Meſſiæ*.

Ibid. ad Pſ. XXXVI. 10. rogant: non illuceſcat nobis amplius בו״ר ſed הב״ה.

Sic R. JEHUDA MUSCATUS in קול יהודה i. e. in *Comment. ad lib. Coſri Part. IV. §. XXV. fol.* 229. *a.* Linguæ Sanctæ ortum ex Deo defendens, addit: איננה מוסכמת מבשר ודם *illa non eſt ex inſtituto carnis & ſanguinis.*

„ *Bava Bathra fol.* 10. 1. R. Doſitheus, Deum „ Regibus opponens, exclamat: *Veni & vide.* „ *Non quemadmodum ſe res habet cum carne &* „ *ſanguine, ſic etiam cum Deo T. O. M.*

„ *Mechilta fol.* 25. 1. edit. Venet. *Deus fecit,* „ *quod* לבשר ודם *carni & ſanguini eſt impoſſibile.*

„ Sic & legimus libellis precationum Judaicis: „ *Ne efficias, ut neceſſe nobis ſit, vel munus vel* „ *mutuum accipere a carne & ſanguine, ſed ſuffi-* „ *ciat nobis manus tua plena.*

„ Aſt ohe! jam ſatis eſt.

§. 3.

„ Cl. WITHOF *Comment. de Portis inferni p.* 68. „ *Not.* 3. per *carnem* & *ſanguinem* Phariſæos in- „ telligit, non excluſis Sadducæis. Quæ conje- „ ctura & jam incidit Cel. LUD. CHRIST. MIEGIO „ noſtro, qui *Concion. Catechet. p.* 258. Doctri- „ nam Chriſti *carni* & *ſanguini*, & ſtatim *Phari-* „ *ſæis* opponit.

§. 4.

℣. 18. *Tu es Petrus &c.* Hæc HAMMONDUS *ad h. l. Tom. I. p. m.* 71. ex antiquitatibus Judaicis illu-

illuſtrare ſtudet: *Cum Hebræi*, inquit, *Levitas omnes vocitarent* LAPIDES TEMPLI, *Petro dicit hic Chriſtus, eum fore lapidem.* Hæc, ut plura alia, procul dubio deſumſit ex GROTIO, qui *ad* 1 *Pet. II.* 5. *Op. Theol. Vol. II. Tom. III. p.* 1099. hæc habet: *apud Hebræos Levitæ dicebantur lapides templi.* Cum vero V. D. nullum locum ex Judæorum ſcriptis allegent, obſervationem *Hammondi* hucusque in medio relinquo. Confer dicenda ad Apoc. VII. §. 9.

§. 5.

„ *Tu es Petrus* ṽ. 18. Antea enim dicebatur *Si-*
„ *mon* Joh. I. 42. Sic Hebræorum Doctores diſci-
„ pulis ſuis nova ſæpius imponebant nomina. Vid.
„ פרקי אבות Cap. II. §. 8. & Conf. MONETA
„ Diſſ. *de mutatione nominis* Witenb. 1722. vent.
„ §. *VIII. p.* 9. 10. SURLAND Diſſ. *de Antiquitat.*
„ *Judaico-Chriſtianis*, ſub præſidio Cl. RIBOVII,
„ Gottingæ 1752. vent. *p.* 27. §. X. Vocabatur
„ vero *Petrus* cum alluſione ad *lapides*, quemad-
„ modum & moris erat Populis Septentrionali-
„ bus, docente JOH. ERICO *Tent. Philologico An-*
„ *tiq. quo nomina propria & cognomina Veterum*
„ *Septem. illuſtrantur.* Havniæ 1753. edit. *p.* 66.
„ ſeq. Aſt non ſine omine ſalutatur Πέτρος. Miſ-
„ ſis aliorum rationibus, obſervo, LXX. cultros
„ lapideos, quibus peragebatur circumciſio, vo-
„ care μαχαίρας ἐκ Πέτρας, & Πετρίνας; & hinc for-
„ ſan Πέτρος, utpote qui circumciſionis erat Do-
„ ctor. Ceterum cum hac ex meditatione diſca-
„ mus, diſcipulis lapidum nomina indita fuiſſe,
„ Johannes forſan Matth. III 9. per *lapides* diſci-
„ pulos ſuos intelligit. Quemadmodum enim

„ Chriſtus de ſuo loquebatur corpore, cum dice-
„ ret: λυσατε τον ναον τουτον Joh. II. 19.; ita filii εκ
„ των λιθων τουτων, ſi conjecturæ eſſet locus, ſunt
„ homines diſcipulorum miniſterio olim conver-
„ tendi.

§. 6.

„ Επι ταυτη τη Πετρα ℣. 18. Cel. Rhenferdius
„ Corol. II. annexo Diſſ. *de Viis Dei* in *Miſcel.*
„ *Duisb. Tom. II. p.* 280. per την Πετραν intelli-
„ git confeſſionem ℣. 16. laudatam. Et hæc ex
„ Judæis illuſtrat, quibus & varia doctrinæ capita
„ ſunt fundamenta, columnæ atque lapides."

§. 7.

„ ℣. 18. επι ταυτη τη Πετρα. Huc referre liceat
„ Judæorum meditationes de אבן שתייה i. e. *la-*
„ *pide fundationis*, in quo non tantum templum
„ aut terra Iſraelis, ſed & totus fundatur mundus.
„ Vid. *Sohar Genes. fol.* 53. *col.* 209. & *fol.* 124.
„ *col.* 492. Illumque fundationis lapidem ad Meſ-
„ ſiam omnino pertinere pluribus docet Schoet-
„ tgenius *Hor. Heb. Tom. II. p.* 605.—610.

§. 8.

„ ℣. 18. οικοδομησω την εκκλησιαν. Hebræis fi-
„ lium בן a בנה *ædificare* dicere placuit, hinc
„ Chriſtus ὁ υἱος του Θεου ℣. 16. ſtatim ℣. 18 addit:
„ οικοδομησω.

§. 9.

℣. 18. etiam πυλαι αδου occurrunt. Multi,
has ad mortem referentes, provocare ſolent ad
Hebr.

Hebr. שאל. Et hanc in rem mihi locus clariſſimus occurrit apud JOSEPHUM GORIONIDEM *lib. I. cap. XVIII. p.* 52. edit. Breithaupt. רבים נהרגו וירדו שאולה *multi interfecti ſunt, & deſcenderunt ad infernum.* Ceterum & Judæi de portis inferni in plurali loquuntur, ex. gr. in פרקי *R. Eliezeris* legimus: שבעה פתחי לגהנם / quæ Cl. VORSTIUS in ſua editione *p.* 149. reddidit: *ſeptem portas habet Gebenna.*

§. 10.

Si vero per πυλας ἅδου inimicos Chriſti, ex. gr. populi Judaici anteſignanos, Phariſæos &c. intelligeres, novum & ab aliis diverſum Syſtema non proferres.

„ Nam & alii per πυλας ἅδου hæreticos intelli„ gunt, ac ſpeciatim hanc de Phariſæis explica„ tionem amplexus eſt PET. WULFING Geiſtlichen „ Hirten Stab / *p. m.* 522.

Ceterum hanc hypotheſin varie ornare poſſem. Nam 1.) in ſequentibus ℣. 21. de his inimicis loquitur Salvator. 2.) Phariſæi & dici poſſent πυλαι ἅδου, partim, quia ſitiebant ſanguinem, partim, quia ducebant ad infernum, Matth. XXIII. 13. quia vocantur ὄφεις & γεννηματα ἐχιδνων. ℣. 23. imo ὑιοι γεεννης ℣. 15. Iſti 3.) Phariſæi etiam omnia corrumpere tentabant, ut patet ex notiſſima illa pericopa in *Sota Cap. III.* §. 4. אשה פרושה ומכות פרושים הרי אלו מכלי עולם *Mulier Phariſæa, & vulnera Phariſæorum, ecce iſta ſunt, quæ corrumpunt mundum.* Sed Eccleſia Petræ ſuperſtructa Phariſæorum viribus ſuperior evaſit. Chriſtus enim addit: *Portæ non prævalebunt,*

§. 11.

„ Igitur jam 1754. obſervavi, Chriſtum forſitan „ per πυλας ἀδου ℣. 18. indigitare Phariſæos. „ Quem poſtea ſententiam ſibi exornandam ſum- „ ſit Cl. Frid. Theod. Withof ſingulari de *Por-* „ *tis inferni* commentatione Lugduni Batav. 1755. „ in 8. edita. Ne tamen inventionis gloria ſuper- „ bire videar, hæc B. L. teneas velim. Commu- „ nis nempe noſter Præceptor, Cel Ammendorf- „ fius, qui nos ſæpius publice docuerat, *portam* „ *latam* Matth. VII. 13. eſſe *Phariſæorum doctri-* „ *nam*, privato olim colloquio indicabat, Wit- „ hofium hanc obſervationem applicaturum eſſe „ loco Matth. XVI. 18. Cum igitur hunc in lo- „ cum horas meas Hebraicas ederem, hanc de „ portis inferni explicationem, meis rationibus „ confirmavi, Withofii enim argumenta nec „ edita, nec mihi nota erant. Si jam hæc inter „ ſeſe conferre velis, videbis nonnulla argumenta „ nobis eſſe communia, alia vero vel mihi, vel „ Cel. Withofio priva. Ceterum hanc conjectu- „ ram & aliis adhuc illuſtrare poſſem argumentis. „ Chriſtus enim alibi Matth. XXIII. 27. Phari- „ ſæos, i. e. πυλας ἀδου, ſepulchris confert. Ac „ Judæi varios doctrinæ articulos *portas* vocabant. „ Maimonides *More Nebocb. P. II. cap.* 47. „ דלתי שמים *portas cœli* de revelatione doctrinæ „ cœleſtis explicat. Ac in Talmude tres libri di- „ cuntur בבא קמא בבא מציעא בבא בתרא *por-* „ *ta prior*, *porta media & porta poſterior*. Hæc „ vero debeo Cel. Ewaldo *Emblem. Sac. lib. IV.* „ *cap.* 3. *p. m.* 348.

§. 12.

§. 12.

℣. 18. *Portæ non prævalebunt.* Hæc ad Templum refero. Non tantum, quia ſecuritas Eccleſiæ opponitur templo, ſed etiam quia Chriſtus ad ædificationem templi II. reſpicere videtur. Quemadmodum enim templum II. inter varios caſus & tot discrimina rerum, inter tot hoſtium inſultus ædificatum eſt Neh. IV. ſic ſtatim hoſtes Eccleſiæ ædificationem impedire tentant, ſed irrito conatu.

§. 13.

Ceterum hac occaſione de hoc *Nehemiæ* loco conjecturam meam aliorum judicio ſubmittere lubet. Scilicet ex Neh. IV. 16. & 21. diſcimus populum in duas partes fuiſſe diviſum, Nehemias enim partem populi opponit hoſti, alios operi intentos eſſe jubet. Verum enim vero ℣. 17. duas has populi partes iterum confundit: *unusquisque altera manu ædificabat, altera tenebat miſſile.* Hanc difficultatem ex ℣. 18. tollere ſtudet LAVATERUS *Comment. ad h. l. p. m.* 21. *media pars*, inquit, *faciebat operas*, *& media pars armata haſtis*, *unusquisque ædificantium accinctus erat gladio ſuo*, (ſcil. ſuper lumbos) *& ſic ædificabat. Quod perinde erat ac ſi una manu gladium vel telum haberet, altera ædificaret.* Aſt multum heic fallitur: a lumbis ad manus nulla valet conſequentia. Si igitur conjecturæ eſſet locus ℣. 17. vocem יד ea ſumerem ſignificatione, quæ præcipue Romanis familiaris, hoc modo: *altera manus*, i. e. altera populi pars, *pugnavit*, *& altera manus*, i. e. altera populi pars, ædificavit. Hac ratione ℣. 17. non repugnaret ℣. 16. & 21. ſed potius rem ulterius explicaret.

§. 14.

Sed forte nimium quantum digreſſi ſumus; redimus ad Matthæum. Hæc, quæ Chriſtus ℣. 18. promittit, referunt & ipſi Judæi ad tempora Meſſiæ. Et quidem 1.) dicit: *Portæ non prævalebunt*. Sic in מדרש בראשית ad Gen. XLI. 1. huc ex Jud. V. 8. hæc verba trahunt: אז לחם שערים *tunc debellabit portas*. 2.) ad Phraſin: *non prævalebunt*, ſequentia Judæorum loca pertinent.

מדרש בראשית ad Gen. I. 1. colloquium Deum inter & diabolum legitur, quo diabolus: *Domine ſeculorum permitte mihi, & adverſabor Meſſiæ & generationi ejus: aſt* הקבה Deus T. O. M. reſpondet: אתה אי יכול לו *non prævalebis ei*.

„ *Peſikta Rabbati fol.* 62. Deus de Meſſia ita: „ *Neque gens aut natio quædam coram illo poteſt* „ *conſiſtere, q. d.* Pſ. LXXXIX. 23. *non exactorem aget hoſtis contra illum, & filius iniquitatis non opprimet illum.* Ac Meſſiæ hoſtes Deus „ ita alloquitur: *quomodo vos hoſtiliter agetis con-* „ *tra eum & generationem ejus?*

§. 15.

„ Chriſtus ℣. 19. addit: *dabo tibi claves*, cum „ ℣. 18. de bello contra inferorum portas dixerat. „ Sic & *Mohammedani* bellum & claves conjun- „ gunt, ut patet ex codice MS. Cel Relandi, „ ex quo accuratam de jure militari Mohammeda- „ norum diſſertationem compoſuit, in qua p. 6. „ ita: *Nihil in orbe præſtantius eſſe dicunt, quam* „ *ad iſtiusmodi bellum* (pro religione ſcil.) *ſe accin-* „ *gere* &c. *gladium eſſe clavem cœli & inferni.*

§. 16.

§. 16.

Has claves ℣. 19 GEORG. URSINUS *Antiq. Hebr. Academ. p.* 172. aliique conferunt cum clavibus, quas Judæi Doctoribus, publice promotis, tradere ſolebant. Quam vero obſervationem Cl. CARPZOVIUS *apparatu Crit. ad Goodwin. p.* 144. rejicit.

§. 17.

Huc & referre liceat illa, quæ occurrunt in *Middoth Cap. I.* §. 9. quæque Doct. L'EMPEREUR in notis ad h. l. *p. m.* 33. ulterius explicat.

Scil. in domo incendii erat ſpatium quadratum unius cubiti, cui impoſitus lapis marmoreus, ſub illo pendebat catena, e qua ſuſpendebantur claves templi. Tempore ſtato ſolvebat ædituus, qui erat ex genere ſacerdotum, ibi repoſitas claves, atque officio defunctus, clavibus in ſuum locum relatis, ſuper hunc lapidem ſomnum capiebat. Sic Chriſtus, qui eccleſiam inſtar templi ædificavit (§. 12.), petram & claves conjungit. Neque hinc mirum erit, cur Chriſtus, de clavibus loquens, ſimul τo *ligare* & *ſolvere* addat. Nam in *Middoth* etiam claves cum catena conjunguntur.

Certe hæc æque huc referre licet, ac aliorum obſervationem, qui volunt Chriſtum reſpicere ad ligationem & ſolutionem catenarum, quæ appoſitis ſeris impingi & ope clavium removeri ſolebant; vel ad veterum morem, quo loco clavium oſtia loris & vinculis muniebant. Quæ explicatio prolixe videnda apud WOLFIUM *Curis Crit. ad h. l. p.* 260.

## §. 18.

„ Sed & claves ex Antiquitatibus Romanis il-
„ luſtrare liceat. Docente nempe Cl. Heineccio
„ *Antiq. Rom. Jurisprudentiam illuſtr. Syntagm.*
„ *Adpend. ad lib. I. §. XLVIII. p.* 317. 318. novæ
„ nuptæ, ingreſſæ domum mariti, claves in ſignum
„ communicati cum ea dominii tradebantur, ac
„ clavibus ademtis dirimebantur connubia. Cete-
„ rum cum Heineccius loc. cit. addat, in divor-
„ tiis tabulas dotales confractas fuiſſe; Moſen ta-
„ bulas legis Exod. XXXII. 19. confringentem,
„ conſiderare poſſumus ut nuntium, Dei nomine
„ populum Iſraeliticum divortio dimittentem.

## §. 19.

Denique Docti certant & adhuc ſub judice lis eſt, quid per *δησαι* & *λυσαι* intelligendum veniat. Hæc vero, cum ab aliis, præſertim Wolfio *loc. cit. p.* 356. – 259., dicta & repetita ſint ſexcenties, jam præterire lubet. Tantum addo, Cl. Joh. Frid. Miegium, quem hac in re nondum citatum vidi, hæc referre ad præcipiendi, vetandique facultatem, libro quo *R. Moſis Maimonidis* tractatum de *juramentis* vertit & notis illuſtravit, *p. m.* 70. ubi vero ſimul *præfationem B.* 3. conferre debes.

## MATTH. XVIII. 20.

*Ὀυ γαρ ἐισι δυο ἢ τρεις συνηγμενοι ἐις το ἐμον ὀνομα, ἐκει ἐιμι ἐν μεσω ἀυτων.* Steph. le Moyne Diſſ. ad Jer. XXIII. 6. *cap.* 4. §. 2. *p.* 166. huc refert ele-

gan-

gantiſſima Judæorum verba: בכל מקום שהצדיקים עומרים שם הוא נמצא עמהם *in omni loco in quo ſtant juſti, ille ipſe Deus invenitur cum illis.* Sed locum non indicat. Verba exſtant מדרש תהלים ad Pſ. XC. 1.

## MATTH. XIX. 24.

P*er foramen acus.* Judæi phraſin de minimo ſpatio adhibent. In מבחר הפנינים fol. 19. 8. ita: אין נקב המחט צר לשני אוהבים. *Non eſt foramen acus nimis anguſtum pro duobus amicis:* addunt; *& tota latitudo mundi non ſufficit duobus inimicis.*

## MATTH. XXIII. 37.

C*ongregare ſub alas &c.* in *Hamaſa* apud Cl. Schultens in *Job. p. m.* 472. ita.

*Deſcendite ſub alas meas, alasque gentis meæ,*
*Ut ſim præſidium vobis, quum pugna conſeritur,*

## MATTH. XXVI. 34.

Πριν ἀλεκτορα φωνησῃ. Judæi privilegia urbis Hieroſ. enarrantes, dicunt: *ibidem non aluntur galli gallinacei.* Sed ſalvo aliorum judicio, hæc Judæorum traditio ſubleſtæ plane eſt fidei, ac utique, repugnante licet acriter Cel. Bashuysen *Syſt. Antiq. Hebr. Min. p.* 142. §. 9. ad fabulas Judæorum per-

pertinet. Verpi enim ipſi ſibi contradicunt. Nam ideo non alebant gallos 1.) *ne oſſicula cadaverum eruerent;* Sed eodem hiatu addunt: *non pernoctat ibi cadaver, nec ullius demortui oſſa in eam inferuntur.* Porro 2.) quia *in ſterquiliniis unguibus fodere ſolent;* ſed vi illorum privilegiorum, *nulla Hieroſolymis erant ſterquilinia.* Nec ſufficit cum Cel. L'EMPEREUR Notis ad בבא קמא *p. m.* 172. dicere: *quod ſterquilinii hic mentionem injiciant, ſtricte accipiendum non eſt.*

DE

## *LATRONIBUS CRUCIFIXIS CUM CHRISTO.*

MATTH. XXVII. 44. MARC. XV. 32. LUC. XXIII. 39.

§. 1.

Matth. XXVII. 44. & Marc. XV. 32. legimus; ὁι λησαι, ὁι συςαυρωθεντες ἀυτω, ὠνειδιζον ἀυῖω; ſed Luc. XXIII. 39. ἑις των κρεμασθεν]ων κακουργων ἐβλασφημει ἀυτον. Quam difficultatem hactenus Eruditi duplici modo tollere tentarunt.

§. 2.

Nonnulli enim defendunt, Matthæum & Marcum poſuiſſe pluralem loco ſingularis. His, Cel. WOLFIO *Curis Crit. ad Matth. XXVII.* 44. *p. m.* 407. citatis, alios addere poſſumus. Sed ante omnia

mnia tenendum, illos non eandem inire viam. Plures enim hæc loca ex eloquentiæ regulis explicant. Sic PISCATORI *Comment. in N. T. p. m.* 158. & 206. eſt Synecdoche integri; aliis eſt Enallage numeri. Huc pertinent WALTHERUS *Harm. Bibl. p. m.* 877. GLASSIUS *Phil. Sac. lib. III. p. m.* 625. BUXTORFIUS *Theſ. Gram. lib. II. cap. IV. p.* 377. LUD. DE DIEU *Crit. Sac. ad Matth. XXI.* 7. *p. m.* 362. & LYDIUS *Flor. Sparſ. ad Paſſion. p. m.* 266. Sed figuram ac omnes artis oratoriæ regulas heic excludit CLERICUS, qui in *Hammondi Nov. Teſt. ad Matth. XXVII. p. m.* 120. ita: *Nec tamen figurato quodam ſtylo uſum Matthæum exiſtimarim, cum* latrones *pro* latrone *dixit. Merum eſt* ἄκυρον. Ac in genere *Art. Crit. P. II. Sect.* 1. *Cap. X.* §. 3. *Tom. I. p.* 243. docet, tali locutioni meram ineſſe ἀκυρολογίαν, at loc. cit. *Cap. XI.* §. 3. *p. m.* 257. ἀκυρολογίαν a tropo diſtinguit, & tropis licitis & uſitatis opponit, imo ibid. §. 9. *p. m.* 261. addit: *nemo in* ἄκυρα *incidit arte, ſed negligentia.*

§. 3.

Sed quod priores attinet, conferendus omnino eſt Cl. WOKENIUS *in textu V. & N. T. ab enallagis liberato.* Ac cum Cel. SALOMONE VAN TILL Diſſ. *de ſitu Paradiſi*, Comment. in Malach. adjecta *p. m.* 202. *difficilis admodum ſum in enallagis admittendis, præſertim, quando nulla ratio tale quid exigit.* Multo minus arridet CLERICI explicatio. Religio enim eſſet, Scriptoribus Sacris ἀκυρολογίαν, tribuere, in quam negligentia inciderint.

§. 4.

§. 4:

Alii hinc ſtatuunt 1.) Latrones ab initio junctis conviтiis proſcidiſſe Chriſtum, poſtea vero alterum pœnitentia ductum fuiſſe; 2.) Matthæum & Marcum initium, Lucam vero progreſſum hiſtoriæ narrare; hinc 3.) Matthæum & Marcum plurali, Lucam vero ſingulari numero loqui. Hac ratione hunc nodum ſolvunt LIGHTFOOTUS *Hor. Hebr. ad Luc. XXIII.* 42. *Op. Tom. II. p.* 563. WOLFIUS *Curis Crit. ad Matth. XXVII. p. m.* 407.

§. 5.

Sed plurimi huic ſententiæ ſeſe opponunt, contendentes, latronem iſtum non tam ſero ad Chriſtum converſum, ut in cruce demum veritatem agnoviſſe dici debeat. Præter illos, quos WOLFIUS *Curis Crit. ad Luc. XXIII.* 40. *p. m.* 765. allegat, huc ſpectant PISCATOR *in N. T. p. m.* 155. CLERICUS in *Hammondi N. T. Tom. I. p. m.* 120. SAURIN Conc. *Paſſion. Tom. I. p.* 433. edit. Lipſ. Heic vero GROTIUM, cujus hanc in rem meletemata minus cohærere videntur, defendere liceat. Scil. *ad Matth. XXVII.* 44. *Op. Theol. Tom. III. p.* 271. *Commentum* dicit, *illum ſubito a convitiis ad eam pietatem converſum fuiſſe.* Sed *ad Luc. XXIII.* 41. *p. m.* 460. docet, *adeſſe novam atque inſolitam divinæ virtutis efficaciam, ac in ipſo imaginem elucere extraordinariæ illius ac ſubitæ vocationis, quæ Apoſtolorum ſeculo multis gentibus contigit.* Verum enim vero, facile componi poteſt iſtud diſſidium. GROTIUS enim latroni nondum crucifixo adſcribit cognitionem hiſtoricam, vi cujus Chriſtum non blaſphemaverit; in cruce vero

cogni-

cognitionem ſalutarem. Si quis hæſitat, audiat ipſum GROTIUM loc. cit. *p. m.* 460. affirmantem, *latronem hunc multa de rebus Jeſu intellexiſſe, partim antequam caperetur, partim in ipſo prætorio.* Adeoque GROTIUS ſcribere potuit, latronem quidem actu fuiſſe converſum in cruce, ſed a conviтiis ſubito non fuiſſe converſum, quippe qui jam antea multa de rebus Chriſti intellexerit, adeoque ipſum neutiquam convitiis oneraverit.

§. 6.

Quamvis vero non omnes Virorum Doctorum (§. 5.) laudatorum rationes probem, dubio tamen procul, unusquisque mihi concedet, aſſertum (§. 4.) citatum nullo probationis fundamento niti, tantumque eſſe hypotheſin, quæ ex regulis Logicis meliori atque aptiori reconciliationis modo cedere debeat.

§. 7.

Breviter igitur dicam quod ſentio (*). Si quis in plurali *i. e.* nomine ſociorum aliquem probris afficit, omnibus id recte adſcribitur, donec ſocii oſtendant, ſe ſocii factum neutiquam approbare. Jam 2.) alter latronum omnia egit in plurali, *i. e.* nomine ſocii, ut ſatis patet ex Luc. XXIII. 39. *& te ipſum & NOS ſerva.* 3.) Qui igitur, ut Matthæus & Marcus, hanc tantum hiſtoriæ partem, ſcil. latronem in plurali locutum eſſe, enarrat, recte ſcri-

(*) Hæc jam protuli Corol. III. annexo Diſſ. Cel. AMMENDORFFII *de Adflictionibus Jobi.* Duisb. 1751.

ſcribere poteſt: ὁι λῃϛαι ὠνειδιζον ἀυτω. Sed 4.) Alter latronum factum ſocii, in plurali loquentis, publice ac graviter Luc. XXIII. 40. 41. reprehendit. Qui itaque, ut Lucas, totam hiſtoriam profert, factum latronis non amplius latronibus adſcribere poteſt, ſed dicere debet: ἑις ἐβλασφημει ἀυτον. Adeoque defendo alterum tantum latronum ſcelus perpetraſſe, nec tamen enallage numeri in mea explicatione requiritur.

## L U C. I. 68.—79.

### §. 1.

Zacharias, utpote ſacerdos, phraſes in ſuo cantico deſumſiſſe videtur ex ſolenni ephemeriæ ſacerdotalis precatione, quotidianis templi miniſteriis conſecrata, dictaque Hebræis עבודה. Hæc vero benedictionis formula, de qua in *Gemara Babyl.* BERACHOT *fol. XI. a.* Edit. Francof. ad Oderam, inque מסורת הש״ס ad l. c. ita ſe habet: רצה יי׳ אלהינו עבודה עמך ישראל ואשי ישראל ותפלתם תקבל ברצון ברוך המקבל עבודה עמו ישראל ברצון שאותך לבדך ביראה נעבוד *Accipe Domine Deus noſter! miniſterium populi tui Iſraelis, & ſacrificia Iſraelis, & preces eorum benevole accipias. Benedictus qui recipit cultum populi ſui Iſraelis cum beneplacito, quoniam Tibi ſoli in timore ſerviemus.* Sacerdotes Deum vocant יי׳ אלהינו ipſique ſæpius attribuunt עם ישראל: Zachariæ eſt Κυριος ὁ Θεος του Ἰσραηλ, του λαου ἀυτου ℣. 68. Sa-

Sacerdotes addunt: ברוך; & Zacharias: ἐυλογητος ℣. 68. Sacerdotes pergunt: *Tibi ſoli ſerviemus:* apud Lucam occurrit λατρευειν ἀυτω, ſed neutiquam ut ſacerdotes ביראה *in timore*, ſed ἀφοβως ℣. 74.

§. 2.

Si vero talia minus placeant, illuſtremus hæc ex liberatione ex Egypto, *qua imago*, ut ad Luc. I. 68. *Op. Tom. II. p. m.* 345. loquitur Grotius, *Meſſiæ temporum*, Cel. quidem Wolfius *Curis Crit. ad Luc. I. 69. p. m.* 570. affirmat: *Quod Zacharias ad liberationem Iſraelis ex Ægypto, tanquam typum redemtionis ſpiritualis, per Meſſiam olim præſtandæ, reſpiciat Luc I. id gratis hic aſſumi forte plerisque videbitur.* Sed id neutiquam gratis aſſumitur, ſed probatur ex collatione ℣. 76. cum Jeſ. XL. quo utique reſpiciuntur tempora Moſis & exitus ex Egypto. Confer quæ diximus ad Jeſ. XL. Sed idem ex jam dicendis clarius illuceſcet.

§. 3.

Et quidem primo huc pertinet elegans Cel. Brunings obſervatio, qui Diſſ. *de Cornu ſalutis*, Heidelb. 1741. vent. *Sect. I. Cap. I. §. VIII. p. 7.* ita: *Principium Oeconomiæ legalis convenit quodammodo cum initio N. T. Illa Moſen* balbutientem, *& gravi ſermone, ut edicta legis poſtulant, utentem, hoc Zachariam* obmuteſcentem *habuit.* Si hac in meditatione pergimus, idem forſan cernere licet in Johanne. Is enim dicitur ὁ βαπτιςης Matth. III. 1. & omnes Iſraelitæ ἐις τον Μωσην ἐβαπτισαντο 1 Cor. X. 2. Populum per deſertum ex mandato Divino duxit Moſes: ac Johannes ἠν ἐν ταις ἐρημοις

Luc. I. 80. Conf. Matth. III. 1. Et τροφη ἀυτου ἠν ἀκριδες και μελι, ἀγριον. Matth. III. 4. Prius forſan reſpicit Egyptiorum *locuſtas* Exod. X. 13. poſterius vero cibum Iſraelitarum, *ſugentium mel de petra, oleumque e duriſſimo ſaxo*. Deut. XXXII. 13. Sed, his miſſis, ſolidiora proferamus.

§. 4.

Prima ſtatim fronte Zacharias, celebrans ℣. 68. Deum, indicat, ſe enarrare liberationem ſpiritualem eodem cum Moſe modo. Vid. Exod. XV. 1. 2. In ſpecie vero Zacharias exclamat: ἐυλογητος ὁ Θεος του Ἰσραηλ ℣. 68. Ipſiſſima hac phraſi & utitur Pſalmus, de exitu ex Egypto agens, Pſ. ſcilicet CVI. 48. ubi ex verſione LXX. quibus tamen Pſ. CV. eſt, legimus: ἐυλογητος κυριος ὁ Θεος Ἰσραηλ. Zacharias pergit: ὁτι ἐπεσκεψατο. Eadem vox de exitu ex Egypto adhibetur. Gen. L. 24. Joſephus ita: ἐπισκοπη δε ἐπισκεψεται ὁ Θεος ὑμας Exod. III. 16. פקד פקדתי אתכם. LXX. ἐπισκοπη ἐπεσκεμμαι ὑμας. Imprimis huc pertinet Exod. IV. 31. כי פקד יהוה ὁτι ἐπεσκεψατο ὁ Θεος. Heic vero mihi ὁμοψηφον laudare liceat Grotium *ad h. l. p. m.* 345. Lucas addit: και ἐποιησε λυτρωσιν τω λαω ἀυτου. Grotius *ad h. l.* hæc eſſe dicit ex Pſ. CXI. 9. ubi de beneficio exitus ex Egypto. Sed alia addamus. Gen. VI. 6. Deus ita: και λυτρωσομαι ὑμας. Exod. XV. 13. τον λαον σου, ὁν ἐλυτρωσω. Ceterum cum phraſi: ἐποιησε λυτρωσιν, confer Exod. XIV. 13. την σωτηριαν ἡν ποιησει ἡμιν.

§. 5.

℣. 69. Και ἠγειρε κερας σωτηριας ἡμιν. Cel. Lampius *Bibl. Brem. Claſſ. II. Faſc. IV. Diſſ. V. p.*

680.

680. ita: *cum autem hæc viſitatio & redemptio a Domino in nube ſplendida, præſentiam ſuam teſtante, facta ſit, quidni eo collimari putemus, quando* κερας σωτηριας *Meſſiæ tribuitur.* Verum enim vero hanc Lampianam ſententiam profligavit Vir. Cel. & Patronus nunquam non colendus, CHRIST. BRUNINGS Diſſ. *de cornu ſalutis*, ac *cornu* explicat per *galeam ſalutis*, idque inter alia *Cap. II.* §. *IX. p.* 10. ex eo probat, quod *cornua* ſint *armorum* (*) loco. Unde CICERO *de Nat. Deorum*, *animantes cornibus armatas* dicat; & MARTIALIS *Lib. XXIII. Ep.* 94.

*Dente rimentur apri, defendunt cornua tauros.*

Quibus hæc Græcorum addere poſſumus. ANACR. *Od. B.* ℣. 1.

Φυσις κερατα ταυροις,
'Οπλας δ' ἐδωκεν ἱπποις.

PORPHYRIUS *de Abſtin. lib. III. Sect.* 9. de animalibus ita: και τα μεν φυλατ]εται, τοις δε χρηται, ὡς παρδαλις μεν ὀδουσιν, ὀνυξι δε λεων, ἱππος δε ὁπλη, και βους κερασιν. Cum vero Cel. BRUNINGS loc. cit. §. *VI. p. m.* 7. addat: *Si tamen ſint quibus Ven. Lampii conjectura non diſplicet, illos amice diſſentire, & diſſenſum libere profiteri per nos licet;* nobis tentare liceat, annon hæc ſententiarum divortia amice conjungi poſſint. Per *cornu* enim *ſalutis* intelligere poſſumus columnam nubis & ignis, non ſenſu *Lampiano*, utpote quem Cel. BRUNINGS loc. cit. §. *IV. p. m.* 6. minus ſimplicem aut nativum dixit;

(*) Conf. *Antiq. Græc. Cap. VIII.* §. 5. *Not.*

dixit; ſed ex ipſiſſima interpretatione Cel. Brunings. Scil. *cornu ſalutis* eſt *galea* tegens contra hoſtes caput: Sed & ſæpius jam laudata columna erat *galea* Iſraelis, quæ totum tegebat populum, Exod. XIV. 20, quæque armorum loco contra Egyptios defendebat Iſraelitas. Illi enim *quieſcebant & Jehova pugnabat* Exod. XIV. 14. & quidem e columna nubis & ignis Exod. XIV. 24. 25. Hinc & Deus dicitur Exod. XV. 3. איש מלחמה *Vir belli*, qui & ex verſione LXX. τω πληθει της δοξης i. e. columnæ, profligavit hoſtes Exod. XV. 7. confer omnino Pſ. LXXXIX. 16. 17. 18. 19. ubi columna triplici proponitur emblemate, *lucis* ſcil. ỽ. 16. *cornu* ỽ. 18. atque *clypei* ỽ. 19. Sic & Pſ. LXXXIV. 12. oſtendente Cel. Hassæo *Syll. Diſſert. p. m.* 143. *Not. a.* שמש ומגן *ſole & clypeo*, alluditur ad idem Divinæ præſentiæ ſignum. Et Judæi ſupra Obſ. ad Jeſ. XL. §. 6. docent in מדרש ילקוט שמעוני *columnam* nubis *hoſtium pellere ſagittas.* En columnam nubis, & ſimul arma! Sic & Juvenalis *Sat.* 13.

*Quicquid habent telorum armamentaria Cœli.*

Oppoſitæ quoque §. *IV. V.* & *VI. p. m* 6. rationes hoc modo evaneſcere videntur. Nam primum, quod Cl. Brunings movet, dubium, non removet in genere nubem, ſed tantum interpretationem *Lampianam.* Dein, Chriſtus dicitur *cornu ſalutis* reſpectu fidelium, quique eo ipſo regnum Satanæ deſtruit. Porro, το εγειρειν huic columnæ convenire poteſt, etſi illa deſcendat cœlitus. Non enim attendendum eſt ad primum hujus columnæ e cœlo deſcenſum, ſed potius ad id, quod egredientibus ex Egypto Iſraelitis contigit, cum *migraret*

*graret quoque columna nubis*, & *ſtaret a tergo Iſraelitarum*, illosque contra Egyptios defenderet Exod. XIV. 19. 20. Sic ἐγείρειν denotat *motum hoſtilem*, ut idem ſit ac *adverſus aliquem inſurgere* Matth. XXIV. 7. Marc. XIII. 8. quæque vocis expoſitio optime columnæ huic convenit. Si enim caſtra movenda erant, Moſes Num. X. 35. ex verſione LXX. exclamat: ἐξεγέρθητι, vel ἐγέρθητι (vid. Bos *ad h. l. p.* 185. *not.* 50.) Κύριε, καὶ διασκορπισθήτωσαν οἱ ἐχθροί σου. Nec denique obſtat, quod Luc. I. 78. huc alludat.

§. 6.

℣. 71. Σωτηρίαν. Sic & Iſraelitæ videbant σωτηρίαν Exod. XIV. 13. & Moſes in Epinicio Exod. XV. 2. ἐγένετό μοι εἰς σωτηρίαν, ac Deus dicitur σωτὴρ αὐτῶν Deut. XXXII. 16. Porro Zacharias loquitur de ſalute ἐκ χειρὸς hoſtium. Sic olim ὁ ἐχθρὸς exclamabat: Κυριεύσει ἡ χείρ μου, ſed Dominus liberabat Iſraelitas ἐκ χειρὸς τῶν Αἰγυπτίων Exod. III. 8. Exod. XIV. 30. Zacharias denique deprædicat ſalutem ἐξ ἐχθρῶν ἡμῶν, καὶ ἐκ χειρὸς πάντων τῶν μισούντων ἡμᾶς. Ita & notante *ad h. l.* Grotio, canit Pſaltes CVI. 10. vel ſecundum LXX. Pſ. CV. 10. ἔσωσεν αὐτοὺς ἐκ χειρὸς μισοῦντος, καὶ ἐλυτρώσατο αὐτοὺς ἐκ χειρὸς ἐχθρῶν. Addam Num. X. 35. οἱ ἐχθροί σου, καὶ πάντες οἱ μισοῦντές σε.

§. 7.

℣. 72. ποιῆσαι ἔλεος. Grotius *ad h. l.* obſervat, eſſe ipſiſſima Decalogi verba Exod. XX. 6. & Deut. V. 10. ubi Deus dicit, ſe eſſe עשה חסד ποιοῦντα ἔλεος. Zacharias pergit: καὶ μνησθῆναι διαθήκης ἁγίας αὐτοῦ.

ἀυτου. Sumtum, docente *ad h. l.* Grotio, ex Lev. XXVI. 42. Addam vero Exod. II. 24. και ἐμνησθη ὁ Θεος της διαθηκης ἀυτου, & quam maxime Pſ. CVI. vel apud LXX. Pſ. CV. 45. ubi & hæc duo, a Zacharia ℣. 72. celebrata conjunguntur: ἐμνησθη της διαθηκης ἀυτου κατα το πληθος του ἐλεους ἀυτου.

§. 8.

℣. 73. ὁρκον, ὁν ὠμοσε προς Αβρααμ. Sic Gen. L. 24. γην, ἡν ὠμοσεν ὁ Θεος τοις πατροις ἡμων. Lucas addit: του δουναι ἡμιν, & Deus ad Abrahamum Gen. XV. 7. δουναι σοι την γην.

§. 9.

℣. 74. Ἐκ χειρος των ἐχθρων ἡμων ῥυσθεντας. Verbum ῥυειν ſæpe uſurpatur de liberatione Iſraelitarum Exod. V. 23. VI. 6. XIV. 30. & adde Pſ. CVI. vel apud LXX. Pſ. CV. 43. Zacharias addit: λατρευειν ἀυτω. Grotius *ad h. l. p. m.* 346. ſcribit: *manifeſta alluſio ad verba Dei* Exod. III. 12. και λατρευσετε τω Θεω. Hinc Moſes ad Pharaonem: ἱνα μοι λατρευση Exod. IV. 23. VII. 16. vel: ἱνα μοι λατρευσωσιν. Exod. VIII. 1. 20. IX. 1. 13 X. 3. Zacharias addit: ἀφοβως. Secundum Grotium *ad h. l.* reſpicitur Deut. XII. 10. Adde Deut. XXXIII. 28. *habitabit Iſrael* בטח vel πεποιθως.

§. 10.

℣. 75. Ἐν ὁσιοτητι και δικαιοσυνη. Deus, ducens δικαιοσυνη populum Exod. XV. 13. Iſraelitas ita alloquitur: ὑμεις ἐσεσθε μοι ἐθνος ἁγιον. Exod. XIX. 6.

§. 11.

§. 11.

℣. 77. Ἐν ἀφέσει ἁμαρτιῶν. Sic Moſes Exod. XXXII. 32. ἀφεις ἀυτοις την ἁμαρτιαν. Et Num. XIV. 19. addit: *quemadmodum feciſti* ἀπ' Ἀιγυπτε ἑως τε νυν.

§. 12.

℣. 78. Δια σπλαγχνα ἐλεες Θεε ἡμων. Ita Moſes Num. XIV. 19. κατα το μεγα ἐλεος σε.

§. 13.

De illis quæ ℣. 78. & 79. hæc habet Cel. BruNINGS loc. cit. §. *VI. p. m.* 6. *aptus videtur & accommodatus* ℣. 78. (ſcil. *ad quærendam in vaticinio hoc Zachariæ columnam nubis & ignis*) *ubi ſequentia ad beneficia Iſraeli in deſerto exhibita, alludere videntur, nempe illuſtratas noctis tenebras, & commonſtratum iter per deſertum in Canaanem.* Cumque Zacharias ℣. 79. ὁδον εἰρηνης addat, cogita de Iſraelitarum via Hieroſolymam, i. e. *pacis* urbem verſus, & adde ex verſione LXX. Pſ. CVI. 7. και ὡδηγησεν ἀυτες εἰς ὁδον εὐθειαν, εἰς πολιν κατοικηſηριε.

L U C. XI. 27.

Μακαρια ἡ κοιλια, ἡ βαςασασα σε. Locis a SCHOETTGENIO citatis adde פרקי אבות *Cap. II.* §. 8. ubi de *R. Jehoſchua* filio Chananiæ ita: אשרי יולדתו *beata eſt genetrix ejus.*

## L U C. XII. 32.

Μη φοβȣ το μικρον ποιμνιον. Sic *Karæi apud* Triglandium *de Karæis Cap. VIII. p.* 112. de multis rerum diſcriminibus loquuntur, ſemperque bono ſunt animo, etſi ſint מעט הצאן *parvulus grex.*

## L U C. XX. 34. 35.

Cel. Rhenferdius *Op. p. m.* 39. huc refert *Berach. fol.* 17. *in futuro ſeculo non eſt conjugium.* Sed maxime huc pertinet locus, quem Millius Præf. ad Rhenferdii Opera adduxit ex מדרש ילקוט שמעוני *P. I. fol.* 32. *col.* 4. ubi ita: *in hoc ſeculo uxorem ducimus, liberosque generamus, ſed in ſeculo futuro nihil horum locum habebit.*

## J O H. XIV. 27.

Εἰρηνην ἀφιημι ὑμιν, εἰρηνην την ἐμην διδωμι ὑμιν. Huc refer Judæorum verba apud Raymundum Martini *Pug. fidei p. m.* 520. ubi de Meſſia ita: שהוא אוהב שלום ורודף שלום ומקדים שלום ומשים שלום ומטיל שלום *diligit pacem, & permittit pacem, & perſequitur pacem, & reddit pacem, & mittit pacem.*

J O H.

## JOH. XIX. 33.

Milites *non fregerunt ejus* crura. Hujus rei rationem ℣. 36. indicat. Interim conferre liceat illa, quæ Judæi tradunt de fugientibus in bello, quorum frangebantur crura *Sota* Cap. VIII. §. VI. מעמידין זקיפין לפניהם ואחרים מאחוריהם וכשילין של ברזל בידיהן וכל המבקש לחזור הרשות בידן לקפח את שוקיו *Diſpoſuerunt viros robuſtiſſimos a fronte, alioſque a tergo, ii ferratas bipennes in manibus habebant, & cuique profugere volenti, crura amputare, iis permiſſum erat.* Sic hoc loco,

*grandia ſi parvis aſſimulare licet,*

& Chriſtum fortiter pugnantem contra inferorum copias cerno, cui proinde crura non frangebant.

## ACT. I. 25.

Ἐις τον τοπον τον ἰδιον. Hanc phraſin Judæi de ſtatu poſt hanc vitam adhibent in שבילי הלקט *fol.* 55. *col.* 1. ubi *R. Jehoſchua* angelum mortis ita rogat: *oſtende mihi* מקומי בגן עדן *locum meum in Eden* ſcil. poſt mortem mihi paratum. Sic Clemens *Ep. cap. V.* de Petro: ἐπορευθη ἐις τον τοπον της δοξης.

## A C T. I I I. 3.

## D E

## *P O R T A* 'Ω Ρ Α Ι Α.

§. 1.

Meam, & ni fallor, novam quidem de hac porta conjecturam, jam 1755. (*) rudi penicillo adumbratam, denuo exhibere animus eſt.

§. 2.

Maxima Eruditorum pars intelligit portam atrii Mulierum, ex ære conflatam Corinthio. Ex. gr. L'EMPEREUR *Not. ad Middoth cap. II.* §. 3. *Not.* 7. *p. m.* 55. OTTO *Lex. Rab. p. m.* 473. BALTH. SCHEIDIUS ad h. l. in *Meuſchenii* Nov. Teſt. ex Talm. illuſt. *p. m.* 161. GROTIUS *ad h. l. Op. Theol. Tom. II. p. m.* 161. DACHS Not. *ad Succa Cap. V. Not.* 13. *p. m.* 481. & LIGHTFOOTIUS *Deſcript. Templi Op. Tom. I. p.* 594. *& Comment. ad Act. II.* 2. *Op. Tom. II. p.* 769. Quem vero Cl. WAGENSEILIUS *Not. ad Sota Cap. I. Not.* 6. *p. m.* 39. male huc ſimpliciter refert, alibi enim aliam amplectitur opinionem.

§. 3.

Alia vero placuerunt Cel. WAGENSEILIO, qui variis

(*) Theſ. Miſcel. de *Memnone* in Collegio Sapientiæ ventilatis per SAM. MAGYOROSY. §. V.

variis argumentis *loc. cit.* probatum dedit, heic potius cogitandum eſſe de porta atrii gentium, cujus argumenta WOLFIUS *Curis Crit. ad b. l. p.* 1051. LAKEMACHERUS *Obſ. Phil. P. I. Obſ. VI. p.* 151. ac noviſſime Cl. WALCHIUS *Diſſ. in Acta, Diſſ. IV.* §. 6. *p.* 49. 50. adduxerunt.

§. 4.

Verum plures in hoc atrio erant portæ, hinc V. D. iterum varias inierunt vias.

I.) LIGHTFOOTUS *Horis ad Act. III.* 2. *Op. Tom. II. p.* 698. & ibid ad ꝟ. 11. ſcribit: *Si* ὡραια *in ſignificatione ſua aliquid relationis habet ad* ὡρα, tempus, *tum portam reſpiceremus vocatam* חולדה/. *forſan ſic dictam ab* חלד tempus *vel* ævum.

II.) Aliis vero porta ὡραια rectius eſt שער שושן.

§. 5.

Eam jam portam cur ὡραιαν *Lucas* dixerit, nunc inveſtigandum reſtat.

I.) WAGENSEILIUS loc. cit. cenſet, *vocem* ὡραιαν *non tam vertendam eſſe* Specioſam, *aut* Pulchram, *quam* Lætam, Hilarem, Amœnam. Hinc eſt, ut addit, *fortaſſe* ἡ θυρα ὡραια *ipſa porta orientalis* שער שושן *dicta, banc enim Portam* Gaudentem, *vel* Lætam *merito quis vocaverit.* ששון *enim* & שושן *cognatæ voces ſunt* &c. &c.

II.) Cl. LAKEMACHERUS loc. cit. *p.* 158.–160. obſervat, portam iſtam שושן nomen ſuum ab urbe *Suſan* accepiſſe, illamque urbem nuncupatam ſic eſſe δια την ὡραιοτητα του τοπου, ac inde concludit; *Lucam, quando portam* Suſan ὡραιαν *dixit, nomen iſtud Hebraicum Græce eſſe interpretatum, ut ita*

θυρα

*θυρα ὡραια porta ſit, cui urbs*, ἐκ της ὡραιοτητος *nomen ſuum ſortita*, *nomen dedit*. Et hæc V. D. ſententia præcipue ſibi plauſum Cl. Walchii loc. cit. §. VII. conciliavit.

III.) Jam tandem mea prodeat conjectura. Portam ὡραιαν quidem & ex urbe *Suſan* illuſtrandam duco, ſed alia ratione. Scil. 1.) urbs iſta *Suſan* ſæpius Græcis a *Memnone* dicitur *Memnonia*. Conf. Duumviros Doctiſſ. Marshamum *Can. Chron. p. m.* 429. & Jablonskium *Synt. I. de Memnone Cap. II. §. V. p.* 12. Cum vero 2.) maximis laudibus *Memnonis* formam celebrarent, forſan porta *Suſan* a *Memnone* vocari poteſt ὡραια. Nam ipſiſſimum iſtud vocabulum adhibere ſolent: ex. gr. apud Eustathium *ad Homeri Odyſſ. IV.* ꝟ. 188. *p.* 1490. ὡραιοτητα του Μεμνονος memoratur.

## APPENDIX DE *MEMNONE.*

### §. 1.

Dum portam Ὡραιαν ex Memnonis vita illuſtrarem, varias ſeſe offerentes obſervationes 1755. in Collegio Sapientiæ commilitonum examini, defendente Samuele Mogyorosy *Hungaro*, expoſui, quasque iteratæ huic de porta ὡραια editioni addere liceat. Ceterum ſæpius Cel. Jablonskium i. e. illius *Syntagmata tria de Memnone Græcorum & Egyptiorum*, 1753. edita, allegare ſoleo. Quæque huic editioni acceſſerunt, nota „ „ indicabit.

§. 2.

Memnonis parentes erant *Aurora* & *Tithon*: Hac occaſione Poëtæ multa de *Auroræ* thalamo fingunt: Conf. JABLONSKIUM *Synt. I. cap.* 1. §. 4. *p. m.* 5. & adde VIRGILIUM *Æn. lib. IV.* ℣. 585.

*Tithoni croceum linquens aurora cubile.*

Eandem ferme metaphoram Pſ. XIX. 5. 6. legimus: *Sol tanquam ſponſus prodiens e thalamo ſuo.*

§. 3.

Pulcherrimam vultus ſpeciem *Memnoni* tribuere ſolent. Et ne quidem dubitarunt illum cum ſole conferre. HOMERO ſalutatur ἠους φαεινης αγλαος υἱος. Odyſſ. IV. ℣. 188. (*) cujus rei EUSTATHIUS, ad locum *Homeri* laudatum, hanc rationem reddit, quod *adſpectu ſoli eſſet ſimilis.* Hinc epigramma, a Cl. JABLONSKIO *Synt. III. cap. IV.* §. 8. *p.* 99. & *p.* 72. & 116. reſtitutum, eum vocat Βασιλεως ἡλιου εἰκονα ἐκμεμαγμενον. „ Quemadmodum & apud *Arabes* viri ſplendidi & præpotentes cum ſole conferentur, teſte SCHULTENSIO „ ad Job. XXXI. 26. *p. m.* 870." Potiori jure de Chriſto, qui *pulchrior eſt filiis Adami* Pſ. XLV. 3. quique Mal. IV. 2. ut *juſtitiæ ſol* promittitur, dicere

(*) Obſervatur enim Tom. VI. der neüen Samlüng der merchwürdigſten Reiſn-geſchichten / p. 356. *Homerum* hujus Memnonis tantum mentionem facere in *Odyſ.* non vero in *Iliad.*

cere poſſumus: ἡ ὄψις ἀυτου ὡς ὁ ἥλιος φαινει Apoc. I. 16.

§. 4.

Neque nigrities, quam ipſi adſcribere ſolent, huic pulchritudini obſtat: iſta enim, *floris quid*, Cl. Jablonskio *Synt. I. cap. II.* §. 7. *p.* 14. docente, *præ ſe ferebat.* Hinc explica Cant. I. 5. *Nigra ſum, ſed pulchra.*

§. 5.

Numeratur inter Heroes belli Trojani. Hac occaſione etiam *vitis aureæ* mentionem faciunt. Vid. Jablonskium *Synt. I. cap. III.* §. 2. *p.* 17. Hinc diſcimus, jam ante tempora templi II. vitem per populos fuiſſe memorabilem. Cæterum ex hac *vite* templi Hieros. nonnulli vexatiſſimum Flori locum *lib. III. cap. V.* illuſtrare tentant. Lipsius enim *Elect. lib. II. cap. V. Op. Tom. II. p.* 772. edit. Veſal. cujus & Cl. Janus Diſſ. *de Vite aurea templi Hieros.* 1706. Lipſiæ vent. §. *IX. p.* 11. 12. veſtigia premit, locum ſic emendat: *ſub aureo vitem cœlo.* Quemadmodum & Editio Neomag. 1662. *p. m.* 329. & Joh. Minellius Edit. Roterod. 1670. *p. m.* 156. textum exhibent. Alii aliter legunt, ut videre eſt ex variis ad h. l. notis. J. H. Withofii Cel. Duisb. Polyhiſtoris ſententia digna utique eſt, quæ addatur: illam vero nobis exhibet B. E. Withof *Diſſ. de Abrahamo Amico Dei* Duisb. 1743. edita, *p. m.* 44. *Corol. X. Ex eo*, inquit, *quod Pompejus* קֹ֗קְ *ingreſſus, nihil niſi ſuperficiem inauratam inſtar convexi cœli vidit, Judæi videntur* cœlicolæ *dicti. Vexatiſſimum enim* Flori *locum lib. III. cap. V. cum venerando Parente noſtro ita legen-*

*legendum cenſemus :* Et vidit illud impiæ gentis arcanum patens SUB AUREO COLI COELO. Verum enim vero, cum in omnibus M. S. & codicibus reperiatur: *ſub aureo uti cœlo*, nuper alia, ad hanc lectionem proxime accedens, conjectura mihi venit in mentem: unica enim litera mutata, lego: *ſuo* (loco *ſub.*) *aureo uti cœlo.* „ Sancti S. „ enim ſuperficiem merito *cœlum* dixeris. Audiamus ADRICHOMIUM, qui *Theat. Terræ Sanctæ* „ *p. m.* 158. *No.* 76. ita: *Parietes de politis facti* „ *lapidibus*, & *intrinſecus cedrinis veſtiti tabulis*, „ *laminis quoque deſuper operti aureis*, — *divino* „ *prorſus opere ſplendebant*, *in quibus ſculpti cherubim*, *gemmæ* (*), *palmæ*, *flores ac celaturæ*, „ *picturæque variæ*, *cœli pulchritudinem repræ*- „ *ſentarunt.*

§. 6.

Porro docent enituiſſe in morte *Memnonis* ſigna favoris & amoris eximia, quo eum Dii complexi ſunt, quo referunt tenebras aliaque plura. Vid. JABLONSKIUM *Synt. I. cap. IV.* §. 3. *p.* 25. Hinc centurio, talia cernens ſigna, exclamat: *vere filius Dei erat iſte* Matth. XXVII. 54.

§. 7.

Varia in variis regionibus *Memnonis* ſepulchra occurrunt, ut obſervat JABLONSKIUS *Synt. I. cap. IV.* §. 1. 2. *p.* 22.–24. qui & inde ſcriptores contra-

(*) Quod attinet *gemmas* conſulendus omnino eſt Cl. HEINSIUS *Diſſ. Sac. lib. I. cap. X.* §. *VII. p. m.* 140.

traditionis arguit. Sed jam Cl. MORINUS Diſſ. *de Paradiſo terreſtri*, præmiſſa BOCHARTI *Geog. Sac.* edit. 1707. *p. m.* 23. recte monuit: *Id mirum videri non debet, cum κενοταφια ſeu ſepulcbra bonoraria in pluribus locis ſolerent illuſtribus viris dicari.* Sic forſitan explicare poſſumus Jud. XII. 7. *ſepultus eſt in urbibus Gilead:* quibus verbis V. D. ut taceam Rabbinorum interpretationem, enallagen numeri admittunt, quam tamen figuram, quantum ſaltem fieri poteſt, evitandam duco. Conf. dicta ad Matth. XXVII.

§. 8.

„ De Memnonis ſtatua prolixius egit Cel. JABLONSKIUS. Sed pauca addere liceat. Scil. de „ ſtatuis loquentibus agentes, & ad illas alludentes, Viros Doctos indicat Cel. BRUNINGS *Antiq. Græc. cap. XIX.* §. 17. *Not. b. p. m.* 262. Ceterum ibid. §. 11. *Not. c. p. m.* 258. Cel. BRUNINGIO æque ac HULSIO *Columnæ Gentilium lapideæ, videntur formam columnæ nubis & ignis ſive Schechinæ referre.* Hæc generaliora in ſpecie *Memnonis* ſtatuæ applicare poſſumus. Omnino enim ſuſpicor, Gentiles hanc *Memnonis* ſtatuam loquentem oppoſuiſſe columnæ nubis & ignis, ex qua Deum ſæpius locutum eſſe, forte audiverant.

§. 9.

„ Deinde de Symbolica hujus Memnonianæ ſtatuæ explicatione, videatur URSINUS *Theol. Symbolicæ p. m.* 147.

§. 10.

§. 10.

Antequam vero hæc ſtatua vocem emitteret optatam, ſæpius ter geminis vicibus eam adire neceſſe erat. Vid. JABLONSKIUS *Synt. III. Cap. IV.* §. 4. *p.* 83. Cur igitur Chriſtiani recuſarent toties invocare Deum? 2 Cor. XII. 8. 9.

§. 11.

De hac ſtatua loquitur et DIODORUS SICULUS *p.* 44. Edit. Wechel. *παρα δε την εισοδον ανδριαντας ειναι τρεις, εξ ενος τους παντας λιθου*, Μεμνονος του Συκνιτου. Qui locus multos torſit interpretes, qua de re videatur *Synt. III. Cap. V.* §. 3. *p.* 104. Cel. JABLONSKIUS, qui non tantum vocem του Συκνιτȣ corrigit, ſed & Μεμνονος ad alium locum transfert. Aſt, quod pace Doctiſſ. Viri dixerim, tranſpoſitione hac neglecta, verba ſic reddere poſſumus: *tres erant ſtatuæ, ex uno ſaxo omnes*, ſtatuæ videlicet *Memnonis* τȣ Συκνιτȣ. Sed quis eſt *Memnon Sycnitis?* Ad patriam *Memnonis*, ni fallor, digitum intendit DIODORUS: Legerem enim vel Συσιȣ vel Σκηνιτȣ, vel etiam cum V. D. Συηνιτȣ, verum iſtud vocabulum mihi non indicaret patriam lapidis, ſed potius ipſius *Memnonis*. „ Forſitan etiam „ legere poſſes Μεμνονος του κτιςου i. e. *conditore* „ *Memnone*.

§. 12.

„ Addam & locum ex AGATHARCHIDE *de mari* „ *rubro*, qui Edit. Steph. 1594. in textu Græco „ *p. m.* 46. in verſione vero *p. m.* 130. ita: *Quan-* „ *do Æthiopum olim agmen Ægyptum incurſavit*, „ *& multis urbes annis cuſtoditas præſidiis ſuis te-*

„ *nuit:* ὑφ' ὧν και τα μεμνονεια συντετελεσθαι φασι,
„ *a quibus etiam Memnonia eſſe perfecta memorant.*

§. 13.

Diodorus Siculus loc. cit. huic ſtatuæ ſequentem inſcriptionem tribuit: Βασιλευς Βασιλεων Ὀσυμανδιας ειμι. Hoc tamen nomen κατ' ἐξοχην competit Deo 1 Tim. VI. 15. Apoc. XIX. 16. Ceterum Cel. Falsterus *Amœn. Phil. Vol. III. p. m.* 43. 44. lancem ſaturam de hoc titulo admetietur.

§. 14.

Diodorus Siculus loc. cit. pergit: *In primo pariete Rex cernitur* —— *cum leone* —— *alii volunt imagine leonis fortiſſimi regis animum deſignari.* Hæc ſeſe propter perpetuum omnium linguarum uſum commendant. Phraſis enim 1.) notiſſima Scriptoribus Sacris. Jehova *Leo bellator* Jeſ. XXXI. 4; & Chriſtus *Leo Victor* Apoc. V. 5. ſalutatur. Si conjecturæ eſſet locus per duos *leones Moabitarum* 2 Sam. XXIII. 20. intelligerem duos Moabitarum Heroes. Nec 2.) hæc phraſis ignota Arabibus. *Arkela Damaſcenus*, apud Abulphedam *Hiſt. Univ.* de *Sjyrcoubo* & *Sjawara* (*) canit.

*Is acer in prædam leo eſt, multo formidoloſiſſimus,*
*At Sjawarus canis infeſtus & mordax eſt,*
*Tumidus, efferveſcens; adeo ut ipſi dicerent comites:*
*Tali ſpecie Satanas maledictus circumcurrit.*

Cum

(*) Quem locum debeo Cl. Hackmanno. *Præc. Sac. Tom. I. p.* 27.

Cum quo loco ſimul confer 1 Pet. V. 8. Διαβολὸς ὡς λέων ὠρυόμενος περιπατεῖ. 3.) Hic loquendi modus & populis Septentrionalibus uſitatus erat, ut nos docet Joh. Erici *Tentam. Philologico Antiq. quo nomina propria & cognomina Veterum Septentr. illuſtrantur.* Havniæ 1753. edit. *cap.* 1. §. 6. *p.* 37. 4.) Miſſis Græcis, inter quos Homerus bellorum duces cum *feris* ſæpius comparat, tendimus in Latium. Florus *lib. IV. cap. II.* pugnam Cæſarem inter & Pompejum enarrans, ſcribit: *Voces quoque obequitantis exceptæ, altera cruenta, ſed docta; & ad victoriam efficax. MILES FACIEM FERI.* Variæ variorum explicationes ſunt notæ, addam & aliam: *Miles faciem feri* h. e. Leonis indue. Et hanc in rem mihi nuper incidit in mentem locus 1 Chron. XII. 8. *eorum facies, ut facies leonum.*

## §. 15.

Hæc dum ſcribebam (*), incido in Doct. Gesneri obſervationem, qua inſcriptiones, ſibi e Tranſylvania miſſas, pertractat, quibus Numen dicitur *bonus puer*, *bonus puer Phosphorus*, *Deus bonus Phosphorus*, *Apollo Pythius.* Illuſt. Gesnerus putat, Hadrianum hiſce coluiſſe puerum *Antinoum* (†). Statim cogitavi de *Memnone* noſtro. Et has jam meas nugas proferre liceat. Scil. V. D. 1.) probat, has inſcriptiones ad *Hadriani* tempora referendas eſſe. Sic Hadrianus ejusque uxor adierunt *Memnonis* ſtatuam, ejusque inſcriptiones plu-

(*) Hæc tantum propter Defendentem, utpote Hungarum, adjeci.

(†) Vid. Bayle art. *Antin. Tom. I. p.* 146. edit. Germ.

plurimæ ætatem *Hadriani* aperte loquuntur. Vid. Jablonskius *Synt. III. cap. IV.* §. 4. *p.* 84. & *Synt. III. cap. VI* §. 7. *p.* 93. *Memnon* 2.) ſæpius *pueri* nomine apud Scriptores venit. V. D. quidem obſervat, iſtud vocabulum præcipue competere filiis Jovis, aſt & *Memnonem* Jove patre ſatum eſſe nonnulli obſervant. Conf. Jablonskium *Synt. I. cap. I.* §. 5. *p.* 7. Nomen 3.) Phoſphori, docente V. D. formoſis ſæpius adſcribitur. Sed et *Memnonis* pulchritudo celebratur, Auroræ filius dicitur, & cum ſole confertur.

## A C T. I X. 5.

Προς κεντρα λακτιζειν. Græci hanc phraſin et de equis adhibent. Homerus *Iliad. lib. XXIII.* ѱ. 429. *Antilochus* equos impellebat, κεντρῳ *ſtimulo urgens.* Philo *lib. de Congr. p. m.* 447. *A.* dicit, *caſtigationem nobis prodeſſe* καθαπερ ἱπποις ἀφηνιασαις κεντρον *ſicut ſtimulus equis contumacibus.* Qui vero ibid. *p. m.* 434. *E.* improprie ita: *cum primum cœpi* κεντροις φιλοσοφιας *ſtimulari amore Philoſophiæ.* Sed jam Paulum ὑιον Φαρισαιου Act. XXIII. 6. & κατα νομον Φαρισαιον ad Phil. III. 5. hac occaſione conſiderare licet cum reſpectu ad Phariſæos. Cel. Carpzovius *ad Goodwin. p. m.* 199. ex Hieronymo & Anselmo hæc docet: *Phariſæi in fimbriis acutiſſimas ſpinas ligabant, ut videlicet ambulantes & ſedentes interdum pungerentur, & quaſi hac admonitione retraherentur ad officia Domini & miniſteria ſervitutis ejus.* Adeoque ad has Phariſæorum ſpinas forte reſpicit phraſis: Προς κεντρα λακτιζειν: & inde forſan ſimul illuſtratur σκολοψ τη σαρ-

*ει* 2 Cor. XII. 7. Quin imo *Phariſæi* hinc forſitan nomen trahunt a פרש / quod denotat *ſtimulum, quo inter arandum vel vehendum punguntur boves.* Vid. Buxtorfius *Lex. Talm. p. m.* 1853.

## A C T. IX. 15.

Σκευος ἐκλογης. Paulus, hactenus Phariſæus, quos Chriſtus Luc. XI. 39 cum *vaſis* confert, jam eſt σκευος ἐκλογης. Judæi etiam hac voce in doctrinæ negotio utuntur. Doctor dicitur קופה של רוכלים *ciſta aromatum*, vel (*) קופה של הלכות *ciſta traditionum*. Ac in *Avoda Sara cap. II.* diſcipulus ſimilis dicitur *pyxidi unguenti*, *cujus odor ſe diffundit*. Ita & Romanis *capſa* erat *diſcipulus*. Vid. Hoffmanni *lex. ad b. v. p. m.* 370. Hinc Græcorum πληροω reſpondet τω Heb. גמר / quibus *implere* denotat atque *docere*. Conf. Schoetgenius Hor. Heb. *ad Matth. V.* 17. *p. m.* 27. & *ad Coloſ. II.* 10. *p. m.* 813. ubi vero ſimul hujus rei ratio indicanda, quia nempe diſcipuli implentur doctrina, quemadmodum vaſa aqua vel aliis rebus. Id quod maxime docet Philo *lib. de Sacrif. Abelis p. m.* 140. *B. Non poſſunt præceptores, quemadmodum qui in vas infundunt, implere mentem illorum, qui introducuntur. Sed quando fons Sapientiæ, Deus, ſcientias tradit humano generi, ſine mora hoc facit.* En ſimul exemplum in Paulo, qui ſine mora

(*) Vid. Schoettgen. *Hor. Heb. ad Marc. III.* 17. *p. m.* 343. 344.

mora doctrina impletur a Chriſto, eſt enim σκευος ἐκλογης. Ceterum Græcos πληρoω de *vaſis* uſurpare, patet ex Euripid. *Iphig. in Tauris.* ℣. 951. εις δ' ἀγγος πληρωσαντες *in vas infundentes* vinum. Sed & V. D. hæc verba ex cultu Levitico illuſtrant. Et 1.) hæc referunt ad *arcam fœderis*, & quidem vario modo. Cel. enim Hammius, poſtquam *de ara inter. P. III.* §. 10. *p.* 124. obſervaverat, *Vectes* aræ deſignare prædicationem Evangelii per miniſterium Apoſtolorum, qui vectium inſtar portarunt Chriſtum, etiam per deſerta mundi, addit; *ideo Paulus venuſta quadam ad hæc inſtrumenta adluſione Act. IX.* 15. σκευος *audit* ἐκλογης, inſtrumentum electionis ad portandum nomen Dei &c. *Quemadmodum enim arca, & reliqua tabernaculi vaſa his vectibus inſtructa,* —— *quæ, ſicut templum domus electa, ita vaſa,* vaſa electionis כלי הבחירה *Judæis vocabantur, quibusque inſitum fuiſſe nomen* יהוה Bechai ad Exod. XXXVII. *obſervat, Kahatitarum humeris per deſerta portabantur, eodem plane modo Paulus, tanquam vas electum electa in domo Dei, Eccleſia N. T. Chriſtum, Angelum illum fœderis*, in cujus medio nomen Dei Exod. XXIII. 21. *omnia implendo Evangelio Chriſti, per deſerta gentium portavit.* Pſ. LXIII. 8. & CVII. 4. Sed aliæ ſunt meditationes Cel. Brunings in Diſſ. *de Paulo Vaſe Electo ad portandum nomen Chriſti* Heidelbergæ 1745. vent. qui hanc phraſin ad vaſa animata refert, i. e. ad Sacerdotes V. T. portantes vaſa ſacra, imprimisque arcam fœderis. Vel, ut breviter V. D. has meditationes in *Regno Dei p.* 315. *Not. x.* exhibet, *Paulus eſt* σκευος ἐκλεκτον *ad portandum nomen Chriſti, ut Sacerdotes arcam humeris ferebant, divini nominis & gloriæ ſedem, Chriſti typum, imprimis Canaanem ingreſſi,*

*greſſi*, *typum quietis N.T.* Ceterum Cel. Brunings ſcrinia P. E. Scheurer in *Diſſ. ad h. l.* Bernæ 1753. vent. ſub præſidio Cl. Altmanni, adeo compilavit, ut jurares, diſſertationem Bernenſem ortam eſſe ex Heidelbergenſi. Antea vero, Diſſ. ſcilicet de *Propitiatorio* Brem. 1725. edita, *p.* 38. §. 16. Cl. Brunings hunc locum contulerat cum *Cherubis* arcæ, denotantibus Apoſtolos, qui *proxime* latus Chriſti claudentes, *propius* illum mirari potuerunt, quique *alis ſuis* Chriſtum in carne manifeſtatum *tulerunt inter gentes* Act. IX. 15. Ac 2.) Hæc verba V. D. referunt ad Sacerdotum veſtitum. Ita ſæpius jam laudatus D. Brunings *Doctrina de Regno Dei*, *p.* 315. *Not.* * vas electum ad portandum nomen Chriſti opponit Pontificibus, qui nomen Dei fronti inſcriptum circumgeſtabant. Et, ſi hac in meditatione pergere velis, lamina illa aurea, cui inſcriptum erat קדש ליהוה adeoque *nomen* Dei, נזר Exod. XXIX. 6. Exod. XXXIX. 30. appellatur a נזר *ſeparavit*, quemadmodum heic *σκευος ἐκλογης ſeparationis* vel electionis *ad portandum nomen*. Ac tandem Cl. Dav. Stemlerus *Comment. ad* h. l. 1742. Lipſiæ edita, §. XVIII. *p.* 26. putat, oraculum noſtrum ad id, quod de *Sacerdote magno* V. T. commemoratur Exod. XXVIII. 12. reſpexiſſe, ubi peculiare Aharonis officium in eo collocatur, *ut portet nomina filiorum Iſraelis coram Jehovah ſuper duos humeros ſuos in monimentum.* Et hæc V. D. ad ſcopum ſuum ita adplicat: *Magna* inquit, *erat prærogativa Sacerdotis Magni V.T. nomina filiorum Iſraelis in humeris gerentis*, *ſed longe major ſacerdotum N. T. nomen Chriſti*; — *in conſpectum omnium portantium. Quis hinc non multo feliciorem ac præſtantiorem Aharone deprædicaret Paulum*, *non nomen filio-*

 *rum*

*rum Iſraelis, ſed ipſum nomen redemtoris filiorum Iſraelis —— portantem?*

## A C T. X. 11.

*Linteum magnum cœlo deſcendens.* Hæc viſio indicabat Dei amorem atque hoſpitalitatem, vi cujus gentes admittebantur ad communionem Eccleſiæ, quemadmodum et Hieroſolymis hoſpitalitatem *linteo* extrinſecus ædibus appenſo, ſignificatam fuiſſe, Judæi tradunt.

## R O M. V. 18.

Δἰ ἑνος δικαιωματος, ἐις παντας ἀνθρωπους, ἐις δικαιωσιν ζωης. *Sobar Num. fol.* 88. *col.* 351. & *fol.* 93. *col.* 372. propter unum *juſtum ſanitas univerſis contingit.*

## R O M. VI. 12.

Μη βασιλευετω ἡ ἁμαρτια. BECHAI ad Gen. IV. 7. יצר הרע מלך גדול *figmentum malum rex magnus.*

## 1 C O R. V. 5.

*Tradere Satanæ.* Nonnulli volunt, phraſin hanc Judæis idem eſſe, ac Satanæ tradere ad mortem aut plagam corporalem infligendam. Huc trahit

trahit Doctiſſ. LIGHTFOOTUS *Horis Heb. ad Job. XX.* 17. *Op. Tom. II. p.* 679. locum ex *Succa fol.* 53. 1. *tradidit eos Salomo Diabolo, qui adduxit eos ad limites Lus, ubi mortui ſunt.* Addit LIGHTFOOTUS: *Nos ex hoc loco obſervamus, quod tradere Satanæ ſenſu Judæorum erat divinæ & miraculoſæ poteſtatis.* Cel. WITSIUS *Melet. Leidenſ. Prælect. de Vita Pauli Sect. VIII.* §. *XXX.* monet: *explicationem — — quæ neſcio qua Talmudica de Salomone & Cushitis fabella arceſſitur, — — ego caſſa non emerim nuce.* Verum hæc & alio rejicienda ſunt nomine. Fruſtra LIGHTFOOTUS, ignoſcant nobis Viri illuſtris manes, (*) hoc in loco cauſæ ſuæ præſidium quærit. Cuivis hoc fiet manifeſtum, quicunque locum ex *Succa* recte perpenderit. Scilicet Angelus Mortis *Cushitas*, coram Salomone ſtantes, occidere voluit, at non potuit, quia ut *Gloſſ.* loquitur, *de iis decretum erat, ut non morerentur niſi in porta Lus.* Salomo, cum mentem Angeli Mortis cognoſceret, verum neſciret Cushitas in porta Lus fatum manere, *Cushitas Diabolo* vel *Faunis tradidit*, præcipiens: *Hos mihi deferte in urbem Lus*, ne ſcil. angelus mortis illis necem inferat, angelo enim mortis, ut tradunt Judæi, fas non eſt eam urbem Lus ingredi. *At Cushitæ delati ad urbis portam*, ut decretum erat, *mortui ſunt.* Ex his clariſſime patet, Salomonem Cushitas non tradidiſſe Satanæ ad occidendum, ut LIGHTFOOTUS vellet, ſed ad conſervandum. Ex aliis igitur locis diſcendum erit, quid phraſiologia iſta

(*) Hæc jam monui Theſ. Miſcel. *de Excommunicatione Jud.* Heidelbergæ 1753. vent. *p.* 7.

iſta *tradere Satanæ* ſonuerit in auribus Judæorum. Et ſeſe jam offerunt loca ex libro *de Vita & Morte Moſis*, cujus Latinam verſionem edidit Cel. Fabricius Hamburg. 1714. Ubi p. 46. hæc extant: *Deus Sammaeli Moſis mortem mandavit* – Sammael dicit: *venit tibi ſumma dies*, *DA mihi animam tuam.* Moſi interroganti *quis te huc miſit?* Sammael reſpondet: *qui orbem creavit & animas*, *quas omnes poteſtati meæ ab orbe condito TRADIDIT.* Moſes p. 48. exclamat: *Noli me Angelo mortis TRADERE.* Similia ferme leguntur in מדרש אלה הדברים ad Deut. XXXIII. 1. Angelus ſcil. Mortis ſecum reputavit נתן לי הקב״ה רשות על נפשו של משה *DEDIT mihi Deus T. O. M. poteſtatem in animam Moſis.* Aſt reſpondet Moſes: *confido Deo O. M.* שלא ימסרני בידך *& non TRADET me in manus tuas.* Ita *Paraphraſtes* in Ruthæ Cap. IV. ℣. ult. dicit: ישי דמתקרי נחש בגין דלא אשתכחת ביה עולא ושחיתא לאתמסרא בידוי דמלאכא דמותא למסבית נפשיה מיניה *Iſai vocatus eſt æneus, eo quod nulla in ipſo perverſitas & corruptio reperta eſt, ob quam TRADERETUR in manus angeli mortis, ut aufferret ab eo animam ipſius.* Joseph. de Voisin Obſerv. ad Raymundi *Pugion.* edit. Lipſ. *p.* 602. locum noſtrum ita reddit: *Iſai vocatus eſt* נחש i. e. *ſerpens.* Vir Doct. forte deceptus eſt per verba ſtatim ſequentia, ubi & *ſerpens* memoratur; alias enim ſatis patet, נחש heic non denotare *ſerpentem*, ſed potius *æneum.* Adeoque huic loco conveniunt iſta Horatii *Epiſt. lib. I. Epiſt.* 1. ℣. 60.

*——— Hic murus aheneus eſto*
*Nil conſcire ſibi*, *nulla paleſcere culpa.*

1 COR.

XXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXX

## 1 COR. VI. 18. 19. 20.

§. 1.

ỷ. 19. *Το σωμα ὑμων ναος του ἐν ὑμιν ἁγιου πνευματος ἐςι.* Hanc jam pericopam ex templo Hieroſolymitano explicare liceat.

§. 2.

ỷ. 18. *Φευγετε την πορνειαν.* Nonnulli excogitarunt alluſionem Apoſtoli ad templa gentilium, ſpeciatimque Veneris illud apud Corinthios, quippe in quibus impuris eſſe deorum cultoribus licuerit: quaſi Apoſtolus vellet fideles, puritatis & ſanctitatis ſtudioſos, quippe qui non Veneris alicujus, ſed Spiritus Sancti templum ſint. Sed cum Cel. Wolfio *Curis Crit. ad h. l. p. m.* 393. Paulina phraſis ſublimior mihi videtur, quam ut ex hoc loco tam obſcuro nata ſit. Nata quippe, quod Wolfius omiſit, ex templo Dei Hieroſolymitano, *ad domum* enim *Jehovæ merces meretricis non erat adducenda, quia abominatio eſt Jehovæ* Deuter. XXIII. 19. Ac in perpetuum filiorum Eli dedecus legimus, illos venerem exercuiſſe in templo. Ceterum non poſſum non huc referre locum ex *Sanhedrin Cap. XI.* ex editione Cocceji *p.* 344. תניא ר יהודה אומר דור שבן דוד בא בו בית הוועד יהיה לזנות *traditio eſt, R. Jehudah dixit, in ea generatione, qua veniet filius David, domus conventus erit in ſcortationes* (*). Etſi jam ex traditio-

(*) Conf. Matth. XXI. 13. ubi Chriſtus templum dicit *σπηλαιον λῃςων*. Vide Wolfium *ad h. l. p. m.* 303.

ditione hac cultus externus tempore Meſſiæ adeo corruptus futurus erat, ut templum vel alia loca ſacra *ſint in ſcortationes*, templum tamen ſpirituale N. T. ſcortationem procul eſſe jubet; odit iſtud profanum vulgus & arcet. Hinc & Apoc. XXII. 15. legimus: ἐξω δε οἱ πόρνοι.

## §. 3.

℣. 20. Ἠγοϱασθητε γαϱ τιμης. Redemtionem hanc pretioſam opponi uſui meretricis, tanquam quæſtuariæ & merentis, monetur in *Bibl. Brem. Claſſ. III. p.* 449. Sed, ut recte iterum WOLFIUS ad h. l. obſervat, *ingenioſe magis, quam convenienter.* Convenit potius dicere, Apoſtolum in oppoſitione ad templum Hieroſolymitanum, cujus materia erat pretioſiſſima & maximis ſumptibus acquiſita, eleganter admodum addere: ἠγοϱασθητε τιμης. Non *auro & argento* redemti, quod erat τιμη templi, ſed τιμιω αἱματι Χϱιςου, 1 Pet. I. 18. 19. Sic & JOSEPHUS *Antiq. lib XV. cap. XIV.* την τιμην templo adſcribit: *una porta*, inquit, *erat ex ære Corinthio, quæ* πολυ τη τιμη *multum ceteras pretio ſuperabat.* Confer Apoc. XXI. 24. 26. ubi urbi & templo ſpirituali reges inferunt την τιμην.

## §. 4.

℣. 20. Addit: δοξασατε τον Θεον ἐν τω σωματι, και ἐν τω πνευματι. Quibus nos docet, qua in re iſtud Dei conſiſtat templum, in cultu videlicet interno, i. e. *mentis*, & in cultu externo, h. e. *corporis.* Ceterum non ita pridem hunc locum Philoſophiæ ope expoſuit F. M. NEUFFER Diſſ. *de Deo in corpore & anima glorificando*, Tubingæ 1757. Præſide Jo. FRID. COTTA ventilata.

§. 5.

Hanc pericopam ita concludit ℣. 20. *ἁτινα ἐϛι του Θεου.* Hæc vulgo redduntur: *illa ſunt Dei.* Sed ſi ad argumentationem Apoſtoli attendimus, ex ſuperioribus repetere poſſumus *ναος.* Dixerat Apoſtolus: *templum Dei eſtis*, & inde concludit Deum glorificandum eſſe. Hanc vero Apoſtoli argumentationem, ut intentis, quod ajunt, oculis contemplaremur, Apoſtolus adhuc addit: *ἁτινα ἐϛι του Θεου* i. e. *ναος.* En locum plane parallelum 2 Cor. VI. 16. *τις δε συγκαταθεσις ναω Θεου μετα ειδωλων* i. e. *ναου.* Hanc enim vocem ſubintelligendam eſſe, patet ex ℣. 14. 15. ubi exactiſſima eſt oppoſitio fideles inter & infideles; adeoque & ℣. 16. fideles, ut templum Dei, opponit infidelibus, utpote qui ſint templum *ειδωλων.* Huic vero noſtræ explicationi quam maxime inſervit Cel. LE MOYNE in *Diſſ. ad Jer. XXIII. 6. p. m.* 289. qui obſervat templa deſignata fuiſſe ſolo nomine Deorum, quibus conſecrabantur, nulla templi vel ædis facta mentione. Exemplis, a V. D. citatis, adde HORATII iſtud: *ventum erat ad Veſtæ*, ſcilicet ædem; & ex Sacris literis, loca antea laudata 1 Cor. VI. 20. *του Θεου*, nempe *ναος*, & 2 Cor. VI. 16. *ειδωλων*, ſcilicet *ναος.*

§. 6.

Hæc vero mihi in memoriam revocant Luc. II. 49. *ἐν τοις του πατρος.* Noviſſime Cl. GERH. HORREUS *Animad. Sac. & Prof.* 1749. edit. *lib. II. cap. XI. p.* 147. hæc explicat per phraſin: *εἰναι ἐν τινι πραγματι*, *in aliqua re*, tanquam veſtimento, *ſemet occupatum tenere, verſari.* Sed hæc

Chriſti

Chriſti verba, quem in templo invenerant parentes, potius de templo explicanda videntur, hoc modo: ἐν τοις του πατρος ſcilicet ædibus, quaſi diceret: annon convenit filium quærere in domo patris. Videatur Grotius ad h. l. cujusque explicationem calculo ſuo approbat, atque ex verſione Syriaca, Perſica, ac Evangelio Infantiæ Jeſu illuſtrat Cl. Sike *Not. ad Ev. Infantiæ p. m.* 77. & addatur Cl. Palairet *Obſerv. Philologico-Crit. ad h. l. p. m.* 162.

## 1 COR. X. 4.

Ἐπινον ἐκ πνευματικης ἀκολουθουσης πετρας· ἡ δε πετρα ἠν ὁ Χριστος. Cl. Mel de *tabernaculo*, Præf. de uſu Antiq. Jud. *p.* 45. hæc illuſtrat ex phraſi Judæorum: *comedere Meſſiam.* Quemadmodum Cod. *Sanhedrin fol* 98. 2. legimus: *comedet Iſrael annos Meſſiæ.* Addo *Targum* Jeſ. XVI. 1. דהוא במדברא טור כנישתא דציון *ille* (Meſſias) *in deſerto fuit rupes Eccleſiæ Zionis.* Et Paulus forte per πετραν reſpicit ad *columnam nubis*, quæ ambulavit cum Iſraelitis, *columnæ* enim & *petræ* vocabulum unum idemque denotare poteſt. Hinc & gentilibus columnæ erant lapideæ ad imitationem hujus columnæ nubis. Vid. Brunings *Antiq. Sac. p.* 258. *Not.* Et ex hac columna biberunt Iſraelitæ, quia Meſſias illam inhabitans, populo aquam ſuppeditavit. Et ipſe Josephus aſſerit *Antiq. lib. III. cap. VIII.* ex nube *gratum quendam rorem defluxiſſe.*

# 1 C O R. X I. 10.

ΔΙΑ ΤΟΥΤΟ ʼΟΦΕΙΛΕΙ ʽΗ ΓΥΝΗ ʼΕΞΟΥΣΙΑΝ ʼΕΧΕΙΝ ʼΕΠΙ ΤΗΣ ΚΕΦΑΛΗΣ ΔΙΑ ΤΟΥΣ ʼΑΓΓΕΛΟΥΣ.

§. 1.

In horum verborum explicatione deſudarunt Doctiſſimi Viri, quorum opiniones conquirere, & huc transferre, noſtri neque otii eſt, neque inſtituti. Illorum, qui ſibi hunc locum Paullinum ex *matrimonii Judaici* apparatu illuſtrandum ſumſerunt, conjecturas in medium proferre ſatis erit; quibus & noſtram bona lectoris venia adjungemus. Si quis meliora docuerit, lubens mutabo ſententiam: *facilis* enim *mihi*, ut phraſi *Rhenferdiana Op. p. m.* 827. utar, *leviſſimæ conjecturæ jactura.*

§. 2.

Prodeat igitur primo Lightfootus, aſt quantus Vir? iſte *Hor. Heb. ad h. l. Op. Tom. II. p. m.* 909. 910. per τους ἀγγελους intelligit שלוחי קרושים *angelos* vel *legatos deſponſationis*. Huic conjecturæ Braunius *Select. Sac. lib. I. cap. III.* §. 59. *p.* 62. 63. Relandus *Antiq. Sac. P. I. cap. X.* §. *XI.* & Con. Mel *Antiq. Sac. p.* 42. niveum addiderunt lapillum; atrum vero Georg. Bright Præf. ad *Lightfooti* Opera, & Cl. Ries *Comment. Crit. ad h. l.* Marb. 1738. §. *IX. p.* 11. & §. *XLI. p. m.* 49.

§. 3.

§. 3.

Aliam ingreſſus eſt viam Cel. Ferd. Stoschius, qui huc refert iſtum Synagogæ ritum, quo *ſponſæ caput a Rabbino in matrimonii conſecratione velo quodam tegitur*, locumque noſtrum ſic reddit: *Propterea fœmina ſeu ſponſa debet velamen accipere in capite a ſacrorum miniſtris.* Hanc hujus oraculi explicationem Osnabrugæ 1747. edidit Vir Doctiſſimus, quamque illuſtrare ac ornare contendit binis ad h. l. Diſſertationibus Lingæ 1750. & 1751. ventilatis.

§. 4.

Cum vero in lectionibus Antiq. Heb. commilitonibus meis caput de *matrimonio Judaico* explicarem, alia hujus loci expoſitio, deſumta ex *divortiis Hebræorum* ſeſe obtulit. Cujus conjecturæ ut qualescunque rationes reddamus, ordine procedendum erit.

§. 5.

Per την κεφαλην intelligo uxoris *caput morale*, i. e. maritum. His vero pluribus confirmandis ſuperſedemus, quum otia nobis fecerit Cel. Ries loc. cit. §. *XXVIII. p. m.* 29. 30.

§. 6.

Per ἐξουσιαν Apoſtolus indicare videtur libellum repudii, quo poteſtatem abeundi accipiebat uxor. Ne vero hæc plane portentoſa videantur, ad phraſes, quas de matrimonio & divortiis adhibent Judæi, attendendum eſt. Ezech. XVI. 30. in contextu Hebræo *meretrix libera*, i. e. (Grotio *ad b. l. Op. Theol.*

*Tom. I. p. m.* 418. obſervante) *maritum non babens. Tract.* KETUVOTH *cap. IV.* §. 5. היא ברשות האב עד שתכנס לרשות הבעל *eſt in poteſtate patris donec intraverit poteſtatem mariti:* addunt: מסר האב לשלוחי הבעל הרי היא ברשות הבעל. *Si pater tradiderit nunciis mariti jam eſt in poteſtate mariti.* Et ibid. *cap. VII.* 8. dicitur נכנסה לרשות הבעל *ingreſſa in poteſtatem mariti.* Aſt per divortia poteſtas illa tollitur: Nam in libellis repudii apud BUXTORFIUM *de Sponſal. & Divort. p.* 164. 165. dicunt: רשאה ושלטאה *facultatem & poteſtatem babes pro lubitu tuo abeundi & nubendi omni viro, cui volueris. Tract.* GITTIN *cap. IX.* §. 1. והרי את מותרת לכל אדם *& ecce permiſſa es cuivis*, quæque verba ibidem *cap. IX.* §. 3 גוף של גט *Corpus* i. e. *ſubſtantia libelli repudii* dicuntur: addunt ibid. §. 3. הרי את לעצמך *ecce tui ipſius, tui juris eſto.* Audiamus & JOSEPHUM (*) *Antiq. lib. IV. cap. VIII. Quicunque a conjuge disjungi poſtulat, ſcripto ei ſecuritatem faciat, quod eam nolit amplius repetere. Sic enim babebit* ἐξουσιαν συνοικειν ἑτερω, *poteſtatem nubendi viro alteri.* Sic & Judæi nonnunquam, absque ulla additione, *poteſtatis* voce utuntur. לית לי רשו *non eſt mihi poteſtas*

(*) GROTIUS ad Matth. V. 31. *Tom. II. p. m* 51. citat *Joſephum*, ſed nec librum nec caput indicat. Alter, quem ibidem profert, locus exſtat *Antiq. lib. XV. Cap. XI.* Alibi (Obſ. in Job. §. 6.) ſimile exemplum e *Philone* habuimus. Sæpius quidem GROTII Commentarii, antea ſeorſim editi, recuſi ſunt, Amſtel. ſcil. Baſileæ, & in Bibliis Criticis: nemo tamen ſcriptorum, a GROTIO citatorum, libros vel capita addidit. Si nova, quæ Erlangæ prodit, editio iſtum ſuppletet defectum, reliquas longo utique intervallo poſt ſe relinqueret.

*teſtas ducendi aliam.* Vid. BUXTORFIUS *Lex. Talm.* ad vocem רשות *p.m.* 2290. & conferatur 1 Cor. VII. 37. ἐξουσιαν δε ἐχει περι του ἰδιου θεληματος *ſed in poteſtate habet propriam voluntatem*, vel ut Cel. PASOR *lex. p. m.* 294. hanc phraſin explicat: *in conjugio contrahendo poteſt ducere uxorem, & poteſt non ducere.* Deinde per *poteſtatem* intelligunt *libellum repudii* vel *poteſtatis*. Nam שטר ההרשאה Judæis ſunt *literæ datæ poteſtatis*, aſt voce שטר omiſſa, tantum הרשאה ponunt, docente iterum BUXTORFIO *lex. Talm. ad. h. v. p. m.* 2291.

§. 7.

Ἔχειν eſt *accipere.* Hanc vocis ſignificationem ſatis ſuperque probavit Cel. STOSCHIUS *Diſſ. I. cit.* §. *VII. p. m.* 12. & adde 1 Cor. VII. 25. & ex ATHENÆO *lib. XIII. cap. V. p.* 576. ἐχειν ἀυτην *accipere uxorem.* Sic uxor accipiebat libellum repudii, Deut. XXIV. 1. *& tradet libellum in manus ejus.* Ceterum το *habere* de ſcripto accipiendo & adhibet OVIDIUS *Triſt. lib. VI.* ℣. 33.

*Hos quoque ſex verſus in primi fronte libelli*
*Si præponendos eſſe putabis, habe.*

§. 8.

Libellum vero repudii vel maritus tradebat ipſemet, vel שלוחו *delegatus ipſius.* Mulier etiam libellum poteſt recipere ipſamet, vel per legitimum procuratorem, qui vocatur שליה קבלה *delegatus acceptionis.* Hinc Apoſtolus addit: δια τους ἀγγελους.

§. 9.

§. 9.

Nexus etiam nos ad divortia ducit, ℣. enim 11. ἀνηρ χωρις γυναικος & γυνη χωρις ἀνδρος. Hinc Græci hanc in rem habent χωρισμον & χωρισθηναι 1 Cor. VII. 10. 11. 15. Non poſſum non huc referre locum Achmetis *Oneiroc.* cap. CXXIII. ἐαν ἰδη τις ὁτι ἐχωρισθη της γυναικος ἀυτου, ἀποβαλει την ἐξουσιαν ἀυτου, & additur: ἡ γυνη του ἀνδρος ἡ δυναμις και ἐξουσια ἐςι. Hæc ultima verba jam adduxerat *ad h. l. p. m.* 129. edit. Fabric. Morus, inde concludens, non legendum eſſe ἐξουσιαν, ſed ἐξουσια, quam conjecturam & Seldenus *Uxor. Heb. lib. III. cap. XXVII. p. m.* 401. perſpicacioribus offert. Aſt religio eſt in Sacris criticum adhibere ſcalpellum. Et verba laudata potius meam explicationem illuſtrant, ex illis enim docemur, ἐξουσιαν, ſi conjungitur cum χωρισθηναι reſpicere divortia, id enim volunt: *maritus quidem in uxorem poteſtatem exercere poteſt, aſt illam per divortium amittit*, adeoque ſupponunt, uxorem iterum iſto caſu habere ἐξουσιαν.

§. 10.

Hæc etiam conveniunt cum ſcopo Apoſtoli, qui ℣. 8.—13. totus in eo eſt, ut demonſtret viri præ uxore ὑπεροχην: illamque probat ℣. 9. ex creatione, & ℣. 10. ex divortiis, *propterea* enim uxor maritum non pro lubitu deſerere poteſt, ſed debet habere ἐξουσιαν &c. Et iſta ὑπεροχη eo magis patet, ſi attendimus ad Hebræorum inſtituta, apud quos maritus uxori libellum repudii ſcribere poterat, non vero uxor marito: conf. Buxtorfium *De Sponſ. & Divort.* §. 86. *p. m.* 85. qui & hanc in rem allegat locum ex Josephi Gorionidis *lib.*

*V. cap. XXII.* ubi maritus vocatur בעלה. In editione vero *Breithaupt.* locus reperitur *lib. V. cap. XXIII. p.* 446. ibique non legitur בעלה / ſed אישה. Idem viguiſſe jus apud Romanos nos docet Cel. HEINECCIUS *Syntag. Antiq. Roman. Jurisprudentiam illuſt. p. m.* 311. §. *XLIV.* & §. *XLVI. p.* 315.

## 1 COR. XIII. 12.

Ingens iſtud diſcrimen inter cognitionem & viſionem hujus & futuræ vitæ obſervant Judæi et in נוה שלום *lib. II. cap. I.*

# DE BAPTISMO
## ὙΠΕΡ ΤΩΝ ΝΕΚΡΩΝ.
## 1 COR. XV. 29.

### §. I.

Magna eſt copia Virorum Doctiſſimorum, qui in ſenſu loci hujus vexatiſſimi eruendo deſudarunt. Præter illos, qui in commentariis ſuis Sacrum codicem, ac in eo Epiſtolam hanc Paulinam illuminare contenderunt, plures peculiaribus iſtum ſibi exercitationibus illuſtrandum ſumſerunt. Ex recentioribus huc ſpectant JOH. HEN. ZOPFIUS Gym. Aſſindinenſis Director IV. Diſſ. *de Baptiſmo*

*ὑπερ*

ὑπερ των νεκρων 1731. Cel. J. G. ALTMANN Diſſ. *de Baptismate Propter Mortuos.* Bernæ 1731. & concione ſacra Germanice edita. Ac noviſſime Vir πολλων ἀνταξιος ἀλλων, Cel. GERDESIUS Diſſ. Exeget. VIII. *in cap. XV. Epiſtolæ Prioris ad Corinthios.* Groningæ 1754.

§. 2.

Et inde *tot*, ut proverbio utar, *quot Thebarum portæ vel Divitis oſtia Nili*, hujus loci expoſitiones occurrunt. Inter omnes vero HAMMONDI, Doctiſſimi Angli, interpretatio veluti inter ſtellas luna minores eminere videtur. Quæque ad uberiorem *Hammondianæ* ſententiæ explicationem atque illuſtrationem facere poſſunt, bona lectoris venia in medium jam proferam.

§. 3.

Cum nemine vero litigare vellem, an HAMMONDUS heic iſtud LUCRETII repetere poſſit;

*Avia Pieridum peragro loca, nullius ante*
*Trita ſolo* ——— ———

V. D. pro illa, qua pollebat modeſtia, noluit

*Inſignem —— ſuo Capiti petere inde coronam.*

Sed Not. ad h. l. *Tom. II. p.* 130. edit. Amſt. CHRYSOSTOMUM aliosque ſibi ὁμοψηφους laudat. Neque id reprehendunt SPANHEMIUS ad h. l. BINGHAMUS *Origin. Eccleſ. Vol. IV. p.* 189. ac GERDESIUS Diſſ. cit. §. *IX. p.* 13. GOTTF. vero OLEARIUS Diſſ. *ad h. l.* vent. 1704. § *VII.* hæc monet: *quod Hammondus alios, eandem, quam ipſe tuetur*

*ſententiam defendiſſe putat, in eo certe ingenio magis quam veritati litat. Quin potius dicat quod res eſt, ſibique ipſi inventionis gloriam non deroget.* Sed quicquid ſit? audiamus jam HAMMONDUM.

§. 4.

Iſte vero *Paraph. ad h. l. p. m.* 128. ita: *reſurrectio mortuorum hic brevitatis cauſa exprimitur voce mortui.* Hinc forte CHRYSOSTOMUM non vero HAMMONDUM tangit Cel. GERDESII κρισις, Diſſ. laud. §. IX. p. 13. ſcribentis: *Unicuique* φρασεως ἀκυρολογια *eſt perſpecta, & dura cenſeri debet interpretatio, qua ſtatuitur unum idemque eſſe* βαπτιζεσθαι ὑπερ των νεκρων, *& baptizari* ἐπι τη ἐλπιδι της ἀναστασεως των νεκρων. Nam, quod pace Viri Doctiſſimi dixerim, HAMMONDO ὑπερ των νεκρων idem eſt ac ὑπερ της ἀναστασεως των νεκρων, ut ipſe concedit *annot.* 1. *p. m.* 131. CLERICUS, acerrimus alioquin HAMMONDI hac in re hoſtis.

§. 5.

Et hanc jam ſententiam Noſter duplici probat argumento, deſumto nempe partim ex verbis ipſis, partim vero ex nexu.

§. 6.

Quod prius attinet, ſcil. ὑπερ των νεκρων idem eſſe ac ὑπερ της ἀναστασεως των νεκρων, HAMMONDUS ad h. l. *p.* 131. variis exemplis probare annititur. Sed CLERICUS ad h. l. *not.* 1. *p.* 131. ſcribit: *Hæc explicatio nec quicquam habet affine eum exemplis, quæ affert.* Ac contra hoc argumentum argumen-

ta

ta utique cumulat OLEARIUS loc. cit. §. *V.* nolo quidem hac in re defendere HAMMONDUM, unum tamen, quod SPANHEMIUS *Diat. ad h. l.* ac OLEARIUS excipiunt, prætcrire nequeo. Scil. V. D. concedunt, Scriptores ſæpius titulum legis, aut conſtitutionis, aut integri tractatus allegare verbis, quæ inchoent legem textumque allegatum. Verum addunt, initiale verbum, quo reſurrectionem carnis in ſymbolo profitemur, non certe eſſe νεκρων, ſed potius ἀνασασις. Verum & nonnunquam το νεκρων præmittitur. Ex. gr. ap. CHRYSOSTOMUM *Tom. III. p.* 514. ita: πισευω εις νεκρων ἀνασασιν.

§. 7.

Sed his miſſis, affirmo, Apoſtolum brevitatis gratia loco ἀνασασεως των νεκρων ſcripſiſſe ὑπερ των νεκρων. CLERICUS quidem *annot. I. p. m.* 131. objicit: *Compendium loquendi, quod hic quærit noſter, ut dicatur* ὑπερ των νεκρων *pro* ὑπερ της ἀνασασεως των νεκρων, *in ſerie orationis, qualis eſt Paulina, & in media ratiocinatione, quæ omnia exprimi poſtulat, id, inquam, compendium duriſſimum eſt.* Verum CLERICUS alibi ad Matth. XXIV. 3. *annot. p. m.* 105. ſcribit: συντελεια του αιωνος *eſt phraſis elliptica, in qua ſubintelligendum*, ἐν ᾡ δει το ἱερον ἱσασθαι. Annon & heic compendium locutionis eſt duriſſimum? Sed tranſeat hoc. Illa, quæ in demonſtratione HAMMONDI deficiunt, ſupplere, & ex ipſo N. T. oſtendere animus eſt, talem ellipſin in media ratiocinatione non adeo eſſe infrequentem. Si enim res ſæpius occurrit illa repetenda omittitur, & genitivus tantum ponitur. En exempla. 1 Cor. VIII. 1. περι των εἰδωλοθυτων, idem eſt, docente ỿ. 4., ac περι της βρωσεως των εἰδωλοθυτων,

 de

de qua nempe comeſtione quærebatur. 2 Cor. VI. 16. τις δε συγκατανεσις ναω Θεου μετα ειδωλων *i. e.* ναου. Heb. XII. 4. αἱματι ῥαντισμου, κρειττονα λαλουντι παρα τον Αβελ. i. e. παρα το αἱμα του Αβελ. Cum jam Apoſtolus ℣. antecedentibus ſæpius de *reſurrectione* locutus eſſet, reſurrectionem, modo ſibi familiari, omiſit, ac dixit, περι των νεκρων pro περι της ἀναστασεως των νεκρων.

§. 8.

Et hac ratione etiam nexus optime fluit. Hammondus *Paraph. p.* 128. ita: *Verum ab iis, qui inter vos negant reſurrectionem, adeoque ullum adveniente Chriſto excitatum iri (quod quærebatur* ℣. 23. *a quo ad hunc interpoſita ſunt quaſi parentheſis, quæ habentur de ſtatu omnium rerum, cum mortui excitabuntur, & poſtea.) hoc unum quæſivero, quare ergo in baptiſmo profeſſi ſint, ſe hæc credere? (vide* ℣. 14. 17.) *cum ſit certum reſurrectionem mortuorum eſſe ex potiſſimis fidei capitibus. in quæ baptizati fuerunt, & cujus baptiſmus (immerſione baptizandi & emerſione) ſymbolum eſt, primum quidem reſurrectionis Chriſti, deinde etiam noſtræ. Quare hi homines, in baptiſmo, profeſſi ſunt, hoc fidei Chriſtianæ caput a ſe credi, ſi non credebant? Baptizari, inſtar Chriſtiani, nec credere reſurrectionem eſt res abſurda, & diſſimulatio, quam numquam nec Deo, nec hominibus probabunt, ac propter quam omnibus baptiſmi beneficiis excident.* Et V. D. annot. *p. m.* 130. addit: τινες εξ ὑμιν ℣. 12. *eſt nominativus verbi* βαπτιζονται, *ideoque illi Corinthii, qui tunc temporis de reſurrectione dubitabant, ſe eam credere fuere profeſſi cum baptizarentur. Hinc Apoſtolus ducit argumentum,*

*quia*

*quia nondum baptiſmo ſuo nuntium remiſerant, licet reſurrectionem negarent.*

§. 9.

Hanc Hammondi argumentationem paucis explicare liceat.

I.) Apoſtolus redarguit illos ex Corinthiis, qui reſurrectionem negarent ℣. 12. τινες εκ ὑμιν.

II.) Contra illos argumentatur ex reſurrectione Chriſti ℣. 13. ſeq. qua occaſione usque ad ℣. 29. nonnulla parentheſi includit. Neque Apoſtoli ſtylum a parentheſibus adeo eſſe alienum, dudum annotarunt V. D. Qua de re videatur Cel. Gerdesius *Miſcel. Duisb. Tom. I. Faſc. I. p.* 84. *ſeq.*

III.) Jam contra illos ſecundum argumentum profert ex baptiſmo illorum ℣. 29. τι ποιησουσιν ſcil. ὁι τινες εκ ὑμιν, cum tamen ſint βαπτιζομενοι ὑπερ των νεκρων. Et clarius addit: Si verum eſt, quod ὁι τινες dicunt, i. e. ἐι νεκροι ὀυκ ἐγειρονται, τι και βαπτιζονται (ſcil. ὁι τινες) ὑπερ των νεκρων i. e. in reſurrectionem mortuorum. Hac ratione demum patet, non inanem eſſe horum verborum repetitionem. Ac Clericus tricas ſequitur Grammaticorum, *annot. II. p. m.* 131. ſcribens: *Quod confidenter ait*, τινες *de quibus* ℣. 12. *eſſe nominativum verbi* βαπτιζονται, *plane inane eſt cum ſit nominativus in hoc ipſo* ℣. 29. ὁι βαπτιζομενοι ὑπερ των νεκρων, *proxime antecedit.* Hæc ex noſtra expoſitione facile diſſipantur.

§. 10.

Et hoc Pauli argumentum validiſſimum erat. Baptiſmus enim eſt ſignum reſurrectionis. Rom. VI. 4. 5. ac Heb. VI. 2. βαπτισμων διδαχην & ἀνα-

G 5 ςασιν

ςασιν των νεκρων conjungit. Quæ vero Olearius objicit §. *VI.* non magni ſunt momenti.

§. 11.

Si vero hæc minus placeant, addamus & alia. Hebræis & Arabibus על denotare, *non obſtante*, multis exemplis probat Cl. Schultens *in Job. p. m.* 268. Hæc ſi applicemus loco noſtro, ὑπερ των νεκρων forte reddere poſſemus: *non obſtantibus mortuis*.

§. 12.

Denique, ſi *circumciſio mortuorum*, *qua infantes ſuper ſepulchro circumciduntur*, *ut reviviſcant in reſurrectione mortuorum*, (quam ex *Schulchan Aruch* & ex *Kolbo* prolixius profert Cl. Schmidius *de Circumc. P. III. cap. VII. p. m.* 515.) jam Apoſtolorum ævo fuiſſet in uſu, nonnulli forte Corinthiorum, cum varios Synagogæ ritus in Eccleſiam Chriſtianam receptos, & baptiſmum circumciſionis loco inſtitutum cernerent, & heic Judaismi reliquias retinendas putarunt. Adeoque inde illuſtrari poſſet illorum ſententia, qui vel de *ſepulchris* mortuorum, vel hominibus *mortuorum loco baptizatis* cogitant.

## 2 COR. III. 7.

Grotius *ad h. l. Op. Theol. Tom. III. p. m.* 836. ſcribit: *fulgorem faciei Moſis recte δοξαν dixit.* Aſt ad Exod XXXIV. 29. *Op. Tom. I. p. m.* 58. addit: *Nihil tamen eſt quod vetet credere, radios illos*,

*los*, *ſurrexiſſe in cornuum ſpeciem.* Et inde jam CALOVIUS *Bibl. Illuſt.* ad Exod. XXXIV. ac Cl. DEYLINGIUS *Obſ. Sac. Part. III. p.* 81. GROTIUM ad illorum numerum referunt, qui cornua Moſis fingunt. Sed de his ne cogitavit quidem GROTIUS, ac ipſius ad Exod. XXXIV. verba ſanam utique interpretationem admittunt, iſtis enim tantum indicat, radiorum lucis magnam cum cornu eſſe ſimilitudinem. Quam ſimilitudinem & admittit KIMCHIUS, qui קרן ſplendoris ſignificationem ideo habere affirmat, quod ſi homo intueatur ſolem, ידמה לו שיעשה הזוהר קרנים *videatur illi*, *quaſi lux cornua emittat.* De qua ſimilitudine videatur & CRAMERUS *de ara exter. cap. V. §. II. p. m.* 66. 67. His jam verba illuſt. *ab* UFFENBACH coronidis loco addo, qui *Commer. Epiſtol. Uffenbach. P. II. p.* 453. ita: *recte faciunt*, *qui —— omnia*, *quæ ad innocentiam atro nimis carbone notatorum hominum demonſtrandam*, *vel certe ad aliquam eorundem exculpationem facere poſſunt*, *cum cura colligunt.*

## 2 COR. IV. 7.

Ἐν ὀστρακίνοις σκεύεσι. Sic *juſti Sobar Exod. fol.* 87. *col.* 356. dicuntur, מאנין תבירין *vaſa fragilia.*

## EPH. I. 19.

Κατα την ἐνεργειαν του κρατους της ἰσχυος ἀυτου. Ita *Karæi* apud TRIGLANDIUM *de Karæis cap. X. p. m.* 155.

155. dicunt, *creationem eſſe ex beneplacito Dei* להוריע עצם גבורתו *ad ſignificandum robur potentiæ ſuæ.*

## COLOS. I. 16.

Ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη τὰ πάντα —— — εἴτε ἀρχαὶ, εἴτε ἐξουσίαι. In מדרש שיר השירים ad Cap. IV. 4. *in Eo* i.e. in Meſſia, כל שלטי הגבורים *omnes potentiæ fortium.*

## 1 THES. IV. 17.

Εἰς ἀπάντησιν τοῦ κυρίου. *Surat. VI.* 30. reſurrectio *occurſus Dei* audit.

## 1 TIMOTH. III. 15. 16.

Στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, καὶ ὁμολογουμένως μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον. POCOCKIUS *Specim. Hiſt. Arabum p.* 312. obſervat, *Mohammedem* nonnullos ritus e *columnis & fundamentis Mohammedismi* eſſe voluiſſe.

HEB.

HEB. IX. 2. — 4.

## DE
## *SITU ALTARIS AUREI.*

§. 1.

Hanc de ſitu Altaris interioris Diſſertatiuncu-lam per JOH. ADAM. DUPRE, jam V. D. Miniſtrum apud Neuhaus. prope Wormaciam, in Collegio Sapientiæ 1755. ventilatam, denuo edere, ac paucis obſervationibus, quas hac „ „ nota cognoſces, augere lubet.

§. 2.

Plures quidem hanc aram deſcripſerunt, ex. gr. DAVID GERTMANN duabus, ut loquitur Cl. SCHLICHTER loco mox citando *p. m.* 403., vel docente Cel. CARPZOVIO *Apparatu Crit. ad Goodw. p. m.* 277., ſeptem diſſertationibus Witteb. 1699. editis. Porro Cel. JOH. AB HAMM. *Exercit. Phil. de ara interiore* Herbornæ 1715. editis. Ac noviſſime CHRIST. LUD. SCHLICHTER *libello ſingulari de altari aureo, Symb. Liter. Brem. Tom. II. P. III. p.* 401. ſeq. inſerto. V. D. & jam promiſſum *de ſuffitu Sacro* tractatum Haleæ 1754. in dias luminis auras emiſit. Interim tamen Spicilegium poſt ampliſſimam meſſem relictum eſt.

§. 3.

In præſentiarum unicam tantum quæſtionem, de ſitu

ſitu ſcil. altaris; levi brachio tangam. Judæi illud unanimi conſenſu in Sancto extra Sanctum Sanctorum ponunt, illorumque teſtimonia protulerunt varii, quos Cl. Schlichter *de ara cap. III.* §. 2. *p. m.* 440. laudat, quibusque Buxtorfius *Exercit. de arca fœderis cap. V. p. m.* 74. addi omnino meretur. Et hoc abunde patet 1.) Ex connexione hujus aræ cum menſa & lychnucho Exod. XL. 22. 28. 2.) Ex miniſterio in hac ara peragendo, & quidem *tam* ex miniſterio anniverſario in die expiationis Lev. XVI. 14. 18. *quam* ex miniſterio quotidiano: in quo diſtinguimus *partim* tempus, *partim* vero perſonas. *Tempus* hujus Miniſterii, quod erat בבקר בבקר ובן הערבים Exod. XXX. 7. 8., ſitum hujus altaris in Sancto probat: non enim ſingulis diebus, ſed tantum אחת בשנה fas erat ingredi in S. Sanctorum. *Perſonæ* etiam hanc aram e Sancto Sanctorum removent: nam & Sacerdotes gregarii, quibus S. Sanctorum intrare licitum non erat, ſuffitum adolebant. Id quod diſcimus non tantum ex modo ſortiendi, a Judæis deſcripto, ſed & ex 1 Chron. VI. 49. & 2 Chron. XIII. 10. 11. & exemplo *Zachariæ* Luc. I., quippe qui Sacerdos erat gregarius. Vid. Lud. de Dieu *animadv. ad* Hier. Xav. *Hiſt. Chriſti Perſice conſcriptam p. m.* 550. aliosque plures. Nec Sacerdotibus gregariis ſuffitum adolentibus obſtat Exod. XXX. 7. 8.

§. 4.

Heic quidem nobis nonnulli opponunt 1.) Judæos, quibus המזבח הפנימי audit; 2.) S. Scripturam, quæ hanc aram nos ponere jubet לדביר 1 Reg. VI. 22. לפני הכפרת Exod. XXX. 6. לפני ארון הערת Exod. XL. 5. ἐνωπιον του θρονου Apoc.

Apoc. VIII. 3. & ἐνωπιον του Θεου Apoc. IX. 13. Sed iſta non ſunt magni momenti.

§. 5.

Altioris vero indaginis difficultas peti ſolet ex Heb. IX. 4. vi cujus ſic concludunt:

*Si per* θυμιατηριον *ara ſuffitus intelligenda venit, iſta non erat in S. ſed S. S.*

*Atqui verum prius,*

*Ergo & poſterius.*

§. 6.

Nonnulli hujus argumenti conſequentiam negant, & quidem vario conatu. Scil. 1.) Lud. de Tena *ad h. l. Difficult. IV.* urget, Apoſtolum non perhibere iſtud θυμιατηριον intra Sanctum S. fuiſſe; ſed tantum Sanctiſſimum hoc conclave altare iſtud habuiſſe, ſcil. e regione poſitum in Sancto. 2.) Cel. Reizius *ad Goodw. lib. II. cap. I. Not. 6. p. m.* 142. docet, iſtud altare, quum velo prope adſtaret, viſum eſſe pertinere ad S. Sanctorum, præprimis cum ex eo ſumeretur ignis introrſum ferendus; ut quodammodo ipſum altare introrſum ferri videretur. 3.) Cl. Vriemoet, cui tamen jam alii præiverunt, vult, Apoſtolum generaliori ſub nomine θυμιατηριου, thuribulum aureum & aram interiorem ſignificare apto, comprehendere utraque iſta: ſimulque hanc explicationem ex Joſepho, quem jam Cl. Relandus *de ſpoliis templi Hieroſ. p.* 121. huc retulit, illuſtrat. Hæc Cel. Vriemoet *Theſ. Controv. Antiq. Iſrael. p.* 97. 98. expoſuit, quemadmodum ex *Miſcel. Duisb. Tom. I. p.* 691. 692. diſco. „ Cum vero harum *Theſ. Con-*

„ *trov.*

„ *trov.* tantum *ſpecimen III.* 1744. ventilatum
„ conferre potuerim, ex eo §. *CXL. p.* 52. occur-
„ rentem, proferam, ubi V. D. ita: Θυμιαθηριον
„ *Hebr. IX.* 4. *ex modo loquendi ejus ævi, cujus*
„ *ſunt veſtigia apud Joſephum, videtur complecti,*
„ *&* Aram ſuffitus, *cujus uſus proximam habebat*
„ *relationem ad S. Sanctorum, &* Thuribulum,
„ *quod in eo, uti die expiationis, ſic forte alias*
„ *quoque, erat.* Idem Vir Doctus *Theſib. Select.*
„ *Antiq. Iſrael.* 1745. edit. §. XLIV. p. 5. ita:
„ *Nomen* Θυμιατηριε, *Hebr. IX.* 4. *commode com-*
„ *plecti videtur duo inſtrumenta Suffitus, Aram in*
„ *ſancto, & Thuribulum in S. Sanctorum.*" De-
nique 4.) Cl. Zeltnerus *Bibl. Germ. ad h. l.* ℣. 3. parentheſi includit, & ℣. 4. ad την σκηνην refert, hoc modo: *in tabernaculo erat candelabrum — & iſtud tabernaculum habebat* θυμιατηριον.

§. 7.

Alii vero rectius minorem negant. Sed οἱ ἐξ ἐναντιας inſtant:

*Si* θυμιατηριον ℣. 4. *non eſſet ara ſuffitus, iſta omitteretur.*

*At poſterius eſt abſurdum.*

*Ergo & prius.*

§. 8.

Hinc varii varias hujus omiſſionis rationes proferunt. Nam 1.) Nonnulli ad ℣. 5. provocant. 2.) Villalpandus *in Ezech. Tom. II. P. II. cap. LII.* & Joh. ab Hamm. *ara inter. P. I. cap. IV.* §. *IV. p.* 34. monent, talis omiſſionis plura exempla in SS. occurrere. 3.) Villalpandus & Cl. ab Hamm. *loc. cit.* typicam hujus rei rationem addunt.

Ce-

Ceterum Cl. D'Outrein *ad* ℣. 2. *Tom. II. p.* 560. vers. Germ. varia contra myſterium, a Villalpando productum, excipit. 4.) Cl. Altingius *ad* ℣. 2. *Op. Tom. IV. p.* 248. obſervat, deſcriptionem hujus aræ in hiſtoria Moſaica per varia capita à reliquis vaſis Sancti remotam eſſe, & Apoſtolum huc alludere. In qua reſponſione & Cl. D'Outrein *loc. cit.* & Cl. Schlichterus *de altari cap. III.* §. *IV. p.* 447. acquieſcunt.

§. 9.

Heb. IX. 2.–4. ulterius ex Philone illuſtrare poſſem. Sed hæc opportuniori loco & tempori reſervo.

§. 10.

Cum hæc non ita pridem D. Comilitonibus exponerem, atque lectione finita de illis cum cognato & amico chariſſimo, hujusque diſſertatiunculæ defendente, paullo liberius, pro more noſtro confabularer, utrinque fatebamur, hæc nobis nondum ſatisfacere. Igitur iterum iterumque volvimus atque revolvimus locum, ac nullum tandem amplius nobis remanſit dubium, quin ara interior ℣. 2. per τὴν τράπεζαν exponi debeat. Quam jam conjecturam D. Comilitonum examini exponere animus eſt.
„ Ceterum poſtea deprehendi, Starckium *Synop.*
„ Bibl. Exeget. ad h. l. eandem profeſre expoſi-
„ tionem. Laudem igitur εὑρήματος aliis non in-
„ video, mihi vero quoque attribuo. Et cum
„ Rev. Starckius hæc dubitanter tantum profe-
„ rat, nilque præter Ezech. XLI. 22. addat, non
„ ingratum fore confido L. B. ſi hanc ulterius con-
„ firmatam videas conjecturam."

## §. 11.

Heic unusquisque dubio procul concedet, aptiorem longe nodi hujus difficilis ſolutionem eſſe, ſi demonſtretur aram ℣. 2. non omiſſam, atque adeo majorem ſyllogismi (§. 7.) citati falſam eſſe.

## §. 12.

Ex noſtra conjectura id & facillimo negotio fieri poteſt. Nam 1.) non quidem cum verſione *Æthiopica* (vid. *Bibl. Polyglot. ad h. l. p.* 867.) verba ex ℣. 4. ad ℣. 2. referimus, ſed altare aureum alio modo ſcil. nomine *menſæ* invenimus. Altaria enim apud Judæos, Chriſtianos & Gentes nomen menſarum gerere dudum obſervarunt eruditi, conf. præter alios Cl. MILLIUM *Diſſ. de Gad & Meni* §. *XXV. Diſſ. Select. p.* 257. 258. Edit. Novæ in 4. Non poſſum tamen non unicum locum, quique propius hic ſpectat, ex Ezech. XLI. 22. addere, quo hæc, de qua diſputamus, ara interior vocatur השלחן אשר לפני יהוה. Aſt 2.) προθεσις των αρτων nobis indicat *menſam*, Græcis enim, teſte SCAPULA *ad h. v. p.* 1625. edit. Baſil., προτιθημι ſæpius denotat apponere menſam. Nec adeo cum ALTINGIO *ad h. l. Op. Tom. IV. p.* 247. aliisque ad hypallagen confugimus, ac ſi προθεσις των αρτων poſitum eſſet pro αρτοι της προθεσεως.

## §. 13.

Sed dices forſan, hæc tantum poſſibilitatem conjecturæ probant. Verum enim vero, explicatio, quæ difficultatem S. S. absque torſione optime tol-

lit,

lit, & quidem tali modo, quo ipſa S. S. præire ſolet, illa explicatio mihi probabilis eſt.

## §. 14.

Sequentia & adhuc obſervare poſſumus: 1.) Apoſtolus, qui ex hypotheſi noſtra oſtendit, Sanctum habuiſſe *candelabrum*, τραπεζαν i. e. *aram* & προθεσιν των αρτων i. e. *menſam*, optime convenit cum Judæis, qui, docente Cl. Sonneschmid Diſſ. Witeb. 1723. vent. *de thymiaterio Heb. IX. 4.* §. *V. p.* 4., altari ſemper medium inter candelabrum & menſam locum tribuere ſolent. 2.) Και ſuadet triplicis generis adeſſe vaſa: Apoſtolus enim ℣. 2. ita: λυχνια, και ἡ τραπεζα, και ἡ προθεσις των αρτων. 3.) Cum Apoſtolus in deſcriptione Sancti maxime brevitati ſtudeat, nulla apparet ratio, cur & menſam & res in menſa contentas diſtincte enarrare, & verbis: και ἡ τραπεζα, και ἡ προθεσις των αρτων unam eandemque rem intelligere vellet. Putabit forſan aliquis, me in eundem impingere lapidem, cum ex mea hypotheſi Apoſtolus ℣. 2. altaris & ℣. 4. thuribuli mentionem faciat. Sed hæc objectio non eſt tanti, ut penulam, quod ajunt, ego ſcindere debeam, nam ℣. 4. per θυμιατηριον non intelligo thuribulum altari impoſitum, ſed poſitum in Sancto Sanctorum. Sed

*Qui meliora tenes, moneas, nec morſibus atris*
*Carpas, quod ſolent Juvenes neſcire monendi.*

# APPENDIX

## DE

## *MYSTERIO SUFFITUS.*

### §. 1.

Hac occaſione & verbum de ſuffitu addamus. Cel. Schlichterus *de ſuffitu p. m.* 131. §. *V. Not.* ſcribit: *ſuffitus preces Chriſti & fidelium adumbravit, non bona opera ipſorum:* Sed neſcio an adeo ſolide? an enim preces non ſunt bona opera? annon Paulus ὀσμην ἐυωδιας Phil. IV. 18. ad omnia bona refert opera? Hinc & V. D. ex hoc ſuffitu illuſtrant Act. X. 4. ubi non tantum *preces*, ſed & *eleemoſynæ* adſcenderunt ἐις μνημοσυνον ἐνωπιον του Θεου. Nec hæc ignota Judæis. *Targum* ad Oſ. XIV. 6. opera fidelium bona non tantum cum candelabro, ſed & cum ſuffitu confert: ישגון בנין ובנן ויחי כזיו מנורת קודשא זיוהון וריחהון כריח קטורת בוסמיא *multiplicantur filii & filiæ, & erit ſicut ſplendor candelabri ſanctuarii ſplendor illorum*, (Conf. Apoc. I. 20. ἀι ἑπ̀τα λυχνιαι ἑπ̀τα ἐκκλησιαι ἐισι) *& odor eorum ſicut odor fumi aromatum.* Et libro Apocrypho, σοφια Σειραχ dicto, Cap. XXIV. 15. 16. vel in verſione Lutheri ℣. 20. 21. legimus: ὡς κινναμωμον και ἀσπαλαθος ἀρωματων δεδωκα ὀσμην, και ὡς σμυρνα ἐκλεκτη διεδωκα ἐυωδιαν, ὡς χαλβανη και ὀνυξ και στακ̀τη, και ὡς λιβανου ἀτμις ἐν σκηνῃ. Ceterum cum heic Sapientia ὀσμην & ἐυωδιαν conjungat, illuſtra Phil. IV. 18. ὀσμην ἐυωδιας.

§. 2.

Aromata in mortario contuſa denotant corda fidelium contrita. Et vulgo huc refertur Jeſ. LXVI. 1. 2. Conf. SCHLICHTERUM *loc. cit.* §. *V. p.* 131. ſi vero ſimul ad ℣. 3. attendimus, eleganter ſatis antitheſis ſuffitum inter & contritionem cordis patebit.

§. 3.

Denique heic ſæpius occurrit phraſis *dare:* Vid. MEIERUS Diſſ. *de Suffitu* Bremæ 1700. vent. §. *XLV. p. m.* 82. & SCHLICHTERUS loc. cit. *P. I. Cap. V.* §. 1. *p.* 83. ſeq. Sic Sapientia exclamat: *Da mihi cor tuum.* Prov. XXIII. 26.

---

H E B. X I I. 23.

Δικαιοι τετελειωμενοι. Cel. RHENFERDIUS *Op. p.* 61. §. *XIX.* huc refert verba *R. Joſeph. Albo*, libro *Ikkarim*, Part. IV. cap. 30. dicentis: בתחיית המתים שיחיו אז הצדיקים הגמורים *in reſurrectione mortuorum juſti perfecti reviviſcent.*

---

A P O C. I I. 3.—7.

℣. 3. *labor*, & ℣. 7. *Paradiſus* memorantur. Sic *Surat. XVI.* 32. & *XXI.* 103. angeli pios ita alloquuntur: ***intrate Paradiſum, cujus rei gratia laboraviſtis.***

# APOC. II. 17.

## DE
## *NOMINE NOVO.*

§. 1.

His obſervationibus, jam 1755. in Collegio ſapientiæ per J. G. Koenig, Collegii tum temporis alumnum, privato commilitonum examini expoſitis, nonnulla iterata hac editione addam: quæque hac „ „ nota a reliquis diſtinguere potes.

§. 2.

„ Et quidem primo obſervationem MS. *Relandi*, in Collegii Bibliotheca aſſervato, p. 8. adjectam, Eruditorum judicio ſubmittam. Ita vero
„ ſe habet: *Præmia Apoc. II. & III proponuntur*
„ *juxta ſeriem temporum V. T. Apoc. II. 7. reſpicit Paradiſum*; ℣. 10. *exitum ex Egypto*; ℣. 17.
„ *tempus quo Manna dabatur*; ℣. 26. *tempus, quo*
„ *Iſraelitis poteſtas data expellendi Cananæos*; &
„ *Cap. III. 5. tempora in deſerto, ubi Moſes exclamat: dele me ex libro. Ac tandem cap. III.*
„ 12. *progreditur ad Salomonis tempora.*

§. 3.

His jam præmiſſis videamus rem ipſam. Sententiam illorum, qui *Nomen Novum* de nomine *filiorum Dei* in cœlis futuro interpretantur, improbat Cel. Frid. Theod. Withof, cujus amicitiam & amo-

amorem læta adhuc mente recordor, in Diſſertatione ad h. l. de *Nomino Novo* Duisburgi 1753. ventilata, ac omni eruditionis genere repleta. V. D. vero aliud potius vivendi genus, aliam dignitatem in cœlis acquirendam intelligit. Sed ſi verum absque fuco amamus, facile patebit, hanc explicationem non adeo repugnare illis, quos V. D. refutare aggreſſus eſt: „ Illi enim per nomen *filio-* „ *rum Dei* neutiquam intelligunt merum ſine di- „ gnitate titulum: Conf. Doctum Hungarum, „ Sam. Dioszegi Diſſ *de nomine novo ad Eſj.* „ *LXII.* vent. Franeq. 1698. §. XXXIV. p. 27. „ & §. XXXVIII. p. 35. ac Joh. Schmidium „ Diſſ. ad h. l. *triplici Brabeo fidelibus promiſſo*, „ edita Lipſiæ 1712. §. XXV. p. 34 " Hinc & Pareus, quem Diſſ. cit. *Cap. III.* §. *XII. p. m.* 49. ſibi ὁμόψηφον laudat Cl Withof, poſtquam ad h. l. *Op. Exeget. Tom. II. p. m.* 1102 dixerat, *nomen dignitate præſtans*, ſtatim addit: *Quodnam vero hoc nomen novum? haud dubie filiorum Dei.* Adeoque has ſententias conjungere poſſemus.

§. 4.

„ Cel. quidem Withof *Cap I.* §. *V. p.* 12. 13. „ 14. objicit: *cum nomen filiorum Dei jam glori-* „ *ficandis in hac terra detur*, nomen *vero* novum „ *tale ſit*, *quod antea non habuerunt*, *ultro patet*, „ *nomen hoc* filiorum Dei *non eſſe idem cum* no- „ mine novo. *Q. E. D.* Verum enim vero totus „ hujus objectionis apparatus mole ruit ſua, ſi „ teneamus, pios alio ſenſu nomine *filiorum Dei* „ gaudere in his terris, alio vero ſenſu in cœlis: „ quemadmodum ipſa S. S. hanc rem exponit, ex. „ gr. Matth. V. 9. υἱοὶ Θεοῦ κληθήσονται; ad quem

„ locum vid. Altingius *Select. N. T. locis*, *Op. Tom. III. p.* 3. Luc. XX. 34.—36. υἱοι ἐισι του Θεου, της ἀναςασεως υἱοι ὀντες; ad quem locum Burnetus, cujus, non ubivis obvii, verba, proferre liceat, ſic *lib. de ſtatu mortuorum & reſurgentium Cap. VIII. p.* 140. Edit. Lond. 1726. commentatur: *Non neſcio dictionem illam* filios Dei *ſanctis in hac vita aliquatenus congruere.* — *Sed cum vitam futuram reſpicit, denotare mihi videtur ſtatum Angelicum Luc. XX.* Porro Rom. VIII. 18.—24. υἱοθεσιαν ἀπεκδεχομενοι, & Apoc. XXI. 7. ὁ νικων κληρονομησει παντα, και ἐσομαι ἀυτω Θεος, και ἀυτος ἐςαι μοι ὁ υἱος. Aſt ohe! jam ſatis eſt.

§. 5.

Suam vero expoſitionem Cl. Withof *Cap. II.* §. *IV. ſeq. p. m* 20. ſeq. ex omnium linguarum & populorum conſenſu probat, vi cujus *nomen novum* novam ſemper denotat dignitatem & novum honorem; *ex. gr.* ex conſuetudine iſta, qua recens creatis Pontificibus novum imponitur nomen. Heic Laonicus Chalcocondylas (*) eleganter Cl. Withofii ſententiam confirmat: *Nomina*, inquit, *poſt electionem illico immutant, quaſi jam divinioris, quam antea ſint naturæ, & planiſſime mutati.* Hæc & ex aliis ritibus, quos Cl. Moneta Diſſ. *de mutatione nominis* Witenb. 1722. ventilata, larga manu profert, illuſtrari poſſent, *v. c.* Veteres

(*) Cujus verba Cel. Wagenseilius Diſſ. de *Johanna Papiſſa, amœnit. lit. P. I. p.* 162. profert.

res ſæpius regibus inter inaugurationis ſolemnia, ut & ſervis manumiſſis nomina mutare ſolebant.

§. 6.

„ Ceterum Chriſtus tria promittit: δωσω ἀυτῳ
„ φαγειν ἀπο του μαννα του κεκρυμμενου, και δωσω
„ ἀυτω ψηφον λευκην, και ἐπι την ψηφον ὀνομα και-
„ νον γεγραμμενον, ὁ ὀυδεις ἐγνω ἐι μη ὁ λαμβανων.
„ Et hinc forſan ad hoſpitalitatis alludit teſſeras.
„ His enim teſſeris vel lapillis characteres vel no-
„ mina inſcribebantur, quæ nemo cognoſcebat,
„ niſi familia hoſpitalitatis fœdus contrahens; qui-
„ busque teſſeris inſtructos eſſe oportebat, qui
„ aliorum ædibus & victu excipi vellent. En *cal-*
„ *culum*, *nomen* & cibum, i. e. *Manna?* Conf.
„ B. E. WITHOFIUM Diſſ. *de Abrahamo Amico*
„ *Dei. p.* 38.

§. 7.

Sed his miſſis tranſeamus jam ad Antiquitates Judaicas. Cel. MORUS *ad h. l. p. m.* 217. (*) produxit alluſionem ad lapidem fundationis, cui & inſculptum ajunt fuiſſe nomen τε̃ραγγραμματον; ut & ad cultros lapideos, quibus circumciſio, quæ & nomen imponebat, peragebatur, quosque LXX. non tantum μαχαιρας ἐκ πετρας, & πετρινας, ſed & ψηφους vocant. Sed alia addere lubet.

§. 8.

(*) Ex editione FABRICII *Obſerv. ad N. T.* Edit. Hamb. 1712.

§. 8.

Scil. primo, mutationem nominis Hebræi, quorum teſtimonia ubivis obvia, inter pœnitentiæ ſigna numerant. Adjiciamus tantum locum ex Philone *lib. de mutat. nomin. p m.* 1055. *C. Numen*, inquit, non impertitur ὀνοματων ἀλλαγην *mutationem nominum*, *ſed potius per ſigna* ἠθων ἐπανορθωσιν *morum emendationem.* Hinc & in morbis nomina ſua mutabant. Cl. quidem Withof *Cap. II. §. VII. p.* 24. ſcribit, illos hoc feciſſe poſt recuperatam ſanitatem; aſt hujus aſſerti demonſtrationem fruſtra hactenus quæſivi, ſaltem illi, quos loc. cit. in notis citat, loquuntur de mutatione nominis peracta in ipſiſſimo morbi periculo. „ Sic & apud recentioris ævi Judæos hæc, „ mutandi nomina, conſuetudo locum obtinet, „ docente A. R. G. C. Matthæo converſo Ju„ dæo, libro Norinb. 1755. Germanice in 4. edi„ to, *Cap. II. p. m.* 35. 36. " Ceterum, cum Judæi ægrotantes propter futiles plane rationes, & decretis divinis minime dignas, ſua mutent nomina, Cel. Moneta Diſſ. laud. *§. X. p. m.* 14. monet, illos, qui ſibi perſuadent S. S. ubi de *novo homine* & *nova creatura* loquitur, ad hunc Judæorum ritum reſpicere, aliquid admittere, quod veritatibus Evangelicis haud congruum ſit.

§. 9.

Alias dein alluſiones paucis tangere liceat: Proſelyti nempe nomina mutabant: hinc & Cl. Vitringa *ad Jeſ. XLIV.* 5 *Tom. II. p.* 560. edit. Herb. huc refert *nomen novum* Apoc. III. 12.

§. 10.

§. 10.

Porro, ut Cl. Ikenius *Antiq. Part. I. Cap. X. §. X.* loquitur, *novus Pontifex impetrata hac dignitate nonnunquam novum quoque nomen aſſumſiſſe videtur.* Et inde forſan mutationem nominis, Pontificibus Romanis uſitatam, derivare poſſumus.

§. 11.

Forſan heic & aliquis cogitare poſſet de חשן / in quo XII. gemmæ, totidem filiorum Iſraelis inſcriptis nominibus inſignes.

§. 12.

Denique huc referre liceat ritus in Scholis & Academiis Judæorum uſitatos. Nam 1.) Præceptores apud Hebræos diſcipulis ſuis, quos ſcil. præ ceteris curarunt, nova nomina indere ſubinde ſolebant. Vid. Obſ. ad Matth. XVI. §. 5. Sic 2.) in publicis promotionibus etiam *nomen novum*, novum titulum imponebant. Si vero hæc alicui aliena videantur a phraſi: *quicunque vicerit*, teneat velim, non tantum *Bellonam* ſed & *Minervam* vincere, ac Judæos ſapientes atque (*) Doctores cum *fortiſſimis* conferre *militibus*. Vid. *Berach. fol.* 29. Quapropter & Apoc. II. 13.—15. memoratur victoria in doctrinæ negotio reportata; & Apoc. II. 9. III. 9. *συναγωγη του σατανα*.

§. 13.

(*) Exercitatiſſimi in diſputando dicuntur בעלי תריסן.

Digitized by Google

§. 13.

Ac tandem Judæi, quorum teſtimonia Schickardus & Carpzovius *Jure Reg. p.* 2. ſeq. & *p.* 224. ſeq. congeſſerunt, gloriantur de triplici corona, *legis* ſcilicet, *regni* & *ſacerdotii*, quas tamen omnes ſuperet כתר שם טוב *corona boni nominis.*

§. 14.

Coronidis loco ad elegantem hoc verſu occurrentem oppoſitionem, quam & ferme in omnibus epiſtolis Apocalypticis cernere licet, attendamus. Nam 1.) τω φαγειν ἐιδωλοθυτα ℣. 14. opponitur το φαγειν ἀπο του μαννα, ut jam Doct. Morus loc. cit. *p. m.* 216, & Rev. Rambachius *medit. in VII. Epiſtolas Chriſti ad Eccleſias Aſiaticas* 1750. germanice edit. *p.* 221. obſervarunt. Illis 2.) qui fidem non abnegarunt tempore illo, quo Antipas μαρτυς ὁ πιςος ℣. 13. damnatus & occiſus eſt, dat jam ψηφον λευκην in ſignum juſtificationis. Id quod iterum docet Cl. Rambach loc. cit. *p. m.* 225. Ac 3.) in nomine novo idem obſervare liceat. Non quidem, ut Cl. Rambachius loc. cit. *p. m.* 227. vellet, piis ideo novum promittitur nomen, quia illis a Gentibus & Nicolaitis odioſa imponebantur nomina, de hac enim re nihil in antecedentibus legimus; ſed rem ſic concipio: Chriſtus ℣. 13. Angelum Pergamenſis Eccleſiæ alloquitur: κρατεις το ὀνομα μου, noſtro vero loco promittit ὀνομα καινον. Qualem & antitheſin V. D. Matth. XVI. defendunt: Scil. Petrus ℣. 16. dicit: συ ἐι ὁ Χριςος, Chriſtus ℣. 18. reſpondet: καγω, & ego tibi vice verſa dico: συ ἐι ὁ Πετρος.

APOC.

## APOC. III. 11.

Ἱνα μηδεις λαβῃ τον ϛεφανον σου. Fideles enim exſpectant της δικαιοσυνης ϛεφανον 2 Tim. IV. 8. & ϛεφανον της ζωης Apoc. II. 10. Sic in tract. *Sabbath* apud RAYMUNDUM *Pug. fidei p. m.* 529. legimus: *deſcenderunt ſexcenta millia angelorum, & unumquemque Iſraelitarum exclamantem* Exod. XXIV. 7. *coronarunt duabus coronis. Cum autem peccaverunt in vitulo,* ירדו ששים רבוא על ששים רבוא מלאכי הבלה *deſcenderunt ſexcenta millia Angelorum tormenti ſuper ſexcenta millia, & ſuſtulerunt*, ut additur, *coronas.* Judæi phraſin, *ſexcenta millia ſuper ſexcenta millia*, explicant per bis ſexcenta millia, ac apud Jos. DE VOISIN annot. ad *Raymundum* varias comminiſcuntur rationes, quare prima vice tantum ſexcenta millia, poſtea vero bis ſexcenta millia Angelorum venerint. Sed forte melius verba reddi poſſent: *ſexcenta millia Angelorum deſcenderunt ſuper ſexcenta millia Iſraelitarum.*

## APOC. IV. 4.

Ἐπι τους θρονους ειδον — πρεσβυτερους καθημενους. — και εσχον επι τας κεφαλας αυτων ϛεφανους χρυσους. Sic. Cod. *Berach. fol.* 17. *col.* 1. הצדיקים יושבים ועטרותיהם בראשיהם *juſti ſedebunt, & coronas ſuas capitibus geſtabunt.*

APOC.

# APOC. VII. 9. – 17.

## §. 1.

Fidelium ſymbolum eſt *per anguſta ad auguſta.* Οἱ ἐρχομενοι ἐκ της θλιψεως της μεγαλης εἰσιν ἐνώπιον του Θεου, &c.

## §. 2.

Ἐλευκαναν ϛολας ἐν τῳ αἱματι του ἀρνιου ℣. 14. omnia in hoc agno plane ſunt mira. Sanguine alias commaculantur veſtimenta Jeſ. LXIII. 3. heic vero ſanguine abluuntur. Veſtes ſanguine quidem tinctæ, ſed tamen ſunt albæ ℣. 9. Deus Jeſ. I. 17. ita: *Si peccata veſtra ſint rubra*, λευκανῶ, ut habent LXX. heic vero ἐλευκαναν ϛολας ἐν αἱματι. Hinc moriente in cruce agno, ἐξηλθεν αἱμα και ὑδωρ Joh. XIX. 34. Sanguis hujus agni vulnera atque mortem indicat, ſed nihilominus vivit & ambulat. ℣. 17. Denique *agnus*, ut eleganter Diſſ. *de agno lucerna* Apoc. XXI. 23. *p. m.* 8. 9. §. *XI.* obſervat cel. Brunings, ſimul eſt *paſtor* ℣. 17.

## §. 3.

Cum quondam Ægyptiorum percutiebantur primogeniti, agni paſchalis ſanguine ſervati ſunt Iſraelitæ Exod. XII. 7. 12. 13. Quique hujus agni ſanguine ſua imbuunt veſtimenta, ſemper vivunt, ſunt enim ἐνωπιον του Θεου. Ille vero non eſt Θεος νεκρων ἀλλα ζωντων Matth. XXII. 32.

§. 4.

## §. 4.

Et illis tantum iſtud competit privilegium. In legiſlatione Sinaitica Deus apparuit Iſraelitis, qui lotis induti erant veſtibus Exod. XIX. 10. Sic in cœlis illi, qui ἐλευκαναν ϛολας, ſunt coram Deo. Et id jam Chriſtus Matth. V. 8. docuerat: μακαριοι, inquit, ὁι καθαροι τη καρδια, ὁτι ἀυτοι τον Θεον ὀψονται. Ceterum & alias beatitudines, Matth. V. promiſſas, Apoc. VII. cernere licet. Matth. V 4. legimus: μακαριοι οἱ πενθουντες, ὁτι ἀυτοι παρακληθησονται; & Apoc. VII. 17. ἐξαλειψει ὁ Θεος παν δακρυον ἀπο των ὀφθαλμων ἀυτων. Porro Matth. V. 6. μακαριοι ὁι πεινωντες και διψωντες την δικαιοσυνην, ὁτι ἀυτοι χορτασθησονται. Ita Apoc. VII. 16. ȣ᾽ πεινασουσιν ἐτι, ȣ᾽δε διψησουσιν ἐτι.

## §. 5.

Sed & ex templo Hieroſolymitano hanc illuſtrare liceat pericopam. Sunt enim ἐν ναω ℣. 15. Sic & in *cœlis templum Dei* apparet Apoc. XI. 19. Nec hæc ignota Judæis. Vid. Schoettgenii Diſſ. *de Hieroſolyma cœleſti Cap. II. de templo Hieroſolymæ cœleſtis* in *Hor. Heb. Tom. I. p. m.* 1213. qui tamen ibid. noſtrum caput intactum reliquit.

## §. 6.

Fideles jam his in terris templum Dei ſunt, ſed, quemadmodum *gloria templi ſecundi major erat gloria templi primi* Hag. II. 10. ita & templum cœleſte longo poſt ſe intervallo relinquit templum iſtud fidelium his in terris.

§. 7.

§. 7.

℣. 9. Occurrit ὀχλος πολυς, quemadmodum ſacerdotum magna erat multitudo, ſed ἐκ παντος ἐθνους, adeoque non tantum ex populo Iſraelis, και φυλων, adeoque non tantum ex tribu Levi. Porro ἑςωτες; ſc. in templo non licitum erat ſedere. Περιβεβλημενοι ςολας λευκας; quæ verba V. D. paſſim ex veſtibus ſacerdotum albis illuſtrant.

§. 8.

℣. 14 Ἐλευκαναν ςολας ἀυτων ἐν τω ἀιματι του ἀρνιȣ. Huc refer Rev. DEYLINGIUM, qui *Obſerv. lib. III. p.* 604. de albis cœleſtium animarum veſtibus inter alia obſervat, Sacerdotes *ad miniſterium prius non admiſſos eſſe, quam ipſi una cum albis veſtibus, quas induerant, ſolemni ritu victimarum ſanguine eſſent adſperſi.* Exod. XXIX. 21. Lev. VIII. 30.

§. 9.

Sunt ℣. 15. ἐνωπιον τȣ θρονȣ τȣ Θεȣ. Sic phraſis in cultu Levitico notiſſima לִפְנֵי יְהוָה. Porro λατρευȣσιν ἀυτω ἡμερας και νυκτος, Sacerdotes mutatis vicibus miniſtrabant in templo; ſed in cœlis ſemper ἡμερας και νυκτος. Idem promittit Chriſtus Apoc. III. 12. ποιησω ἀυτον ςυλον ἐν τω ναω τȣ Θεȣ μȣ, και ἐξω ȣ μη ἐξελθη ἐτι. Ceterum cum heic de columna ambulante loquatur Chriſtus, forſan columna denotat ſacerdotem, & inde illuſtrari poſſet ſententia GROTII atque HAMMONDI, qui Sacerdotes *lapides templi* dictos vellent, confer quæ diximus ad Matth. XVI. §. 4. Ceterum phra-

ſis

ſis ποιειν & ſic occurrit Apoc. I. 6. ἐποιησεν ἡμας ἱερεις.

§. 10.

✝. 15. Ὁ καθημενος ἐπι του θρονου, σκηνωσει ἐπ' αὐτους. Quemadmodum Deus inhabitabat quondam arcam fœderis.

§. 11.

✝. 16. Ου πεινασουσιν ἐτι &c. Quemadmodum & Sacerdotes nulla laborabant penuria, ſed ſancta ac ſanctiſſima comedebant.

§. 12.

Adeoqui hi Sacerdotes, ablutis induti veſtibus conveniunt Apoc. I. 5. 6. ubi eſt gloria Chriſto, τω λουσαντι ἡμας. Και ἐποιησεν ἡμας ἱερεις τω Θεω. Quia nempe Sacerdotes, manibus pedibusque lotis Domino ſerviebant. Et inde ſimul lux præfertur Pſ. XXVI. 6. 7. *lavo innocentia palmas meas*, en alluſionem ad labrum æneum! *& circa altare tuum verſor Jehova*, en functionem ſacerdotalem.

## APOC. XXI. 23.

Δοξα του Θεου ἐφωτισεν αὐτην. Sic Cod. *Berach. fol.* 17. *col.* 1. ונהנין מזיו השכינה *fruentur* (juſti) *ſplendore Majeſtatis divinæ.*

## APOC. XXII. 13.

Ἐγω ἐιμι το Α και το Ω, ἀρχη και τελος, ὁ πρωτος και ὁ ἐσχατος. Idem legimus Apoc. I. 8. & XXI. 6. Sic א rerum quarumvis, quæ in ſuo genere *primæ* & *præcipuæ* ſunt, apud ipſos Talmudicos nomen eſt *Menachoth VIII.* 1. 3. & inde hæc Apoc. loca illuſtrat Cl. VRIEMOET Orat. 1731. habita, ac *Obſervat. Miſcell.* adjecta *p.* 18. *Not.* β. Ita & R. JOHANNES KEMPER *Not. ad Deut. VI.* 4. de Jehova ſcribit: הוא האלף ותיו ראשון ואחרון *ille eſt* א *&* ת *primus & noviſſimus.*

# APPENDIX I.

*Sive*

## OBSERVATIONES MISCELLANEÆ

*in*

## *PROVERBIA ARABICA.*

§. 1.

Proverbiorum Arabicorum centuriæ duæ, in quas obſervationum ſpecimen edere animus eſt, prodierunt 1614.; & altera vice 1623. in 8. cum interpretatione latina & Scholiis Jos. Scaligeri, & Thomæ Erpenii, quaque editione jam utor.

*In Centuriam Primam.*

§. 2.

Prov. II. p. 2. *Ne equites equum alienum*; i. e. *Noli te ornare ſcientia, quam non intelligis.* Ita & Judæi ſimilitudinem, ab equis deſumtam, in doctrinæ negotio adhibent. Vide quæ ſupra ad Act. IX. e Philone adduximus.

§. 3.

Prov. V. p. 5. *Ne indue album nocte obſcura*, i. e. *Ne ſis extrinſecus decorus, & intrinſecus plenus iniquitatis & nequitiæ.* Sic Chriſtus Matth. XXIII. 27. 28. docet, Phariſæos, utpote qui foris quidem apparebant juſti, intus autem pleni erant hypocriſi

& iniquitate, ſimiles eſſe ſepulchris dealbatis. Ac ſi in adagio per *noctem obſcuram* mortem intelligimus, inde ſimul patet, quomodo σχολιον undique adagio reſpondeat, id quod Cel TH. ERPENIUM ad h. l. latebat. Sic & Prov. XLIV. p. 36. *tenebræ* denotant *mortem*.

§. 4.

Prov. VII. p. 7. *Ne deambula nudus per plateas*. i. e. *Ne aperias ſecretum tuum coram hominibus*. Ita Deo, cui hominum conſilia patent, *omnia ſunt* γυμνα *nuda* Heb. IV. 13.

§. 5.

Prov. X. p. 9. *Ne te dedas cupiditatibus, ne moriaris in peccatis tuis*. Conf. Eph. II. 3. 5. ἡμεις παντες ἀνεςραφημεν ἐν ταις ἐπιθυμιαις —— και ὀντας ἡμας νεκρους τοις παραπτωμασι.

§. 6.

Prov. XIV. p. 12. obſervant, *pravas cupiditates hominem ſpinarum inſtar pungere*. Sic & Chriſtus cupiditates hujus mundi *ſpinis* confert Luc. VIII. 7. 14.

§. 7.

Prov. XV. p. 13. *Ne perde margaritas in die feſto*: i. e. *Ne fleas in loco lætitiæ*. Cel. ERPENIO proverbii hujus ratio obſcura ſatis eſt. Sed forſan lacrymæ ipſis dicuntur *margaritæ*.

§. 8.

Prov. XX. p. 18. *Ne incarcera pavonem & columbam ſimul*. Oppoſitio columbas inter & alia animalia ubivis eſt obvia. Confer Matth. X. 16.

§. 9.

§. 9.

*Ne emittas voluntatem tuam poſt cupiditates ſine fræno legis*; *ſed obfræna appetitum tuum*; legimus Prov. XXI. p. 18. & 1 Cor. IX. 27. ὑπωπιαζω μου το σωμα και δουλαγωγω.

§. 10.

Prov. XXIX. p. 26. *Ne converſare cum leone quadrupede.* i. e. *Cave & declina omnem hominem nequam.* Sic Petro diabolus eſt λεων ὠρυομενος 1 Pet. V. 8.

§. 11.

Prov. XXXV. p. 30. *Ne des porcis honorem & laudem.* i. e. *Ne attribue ſtultis ſapientiam.* Conf. Matth. VII. 6.

§. 12.

Prov. XXXVII. p. 31. *Appone januæ tuæ frænum.* i. e. *fræna os tuum*, *& impone illi frænum ſilentii.* Conf. Jac. III. 8. την γλωσσαν δαμασαι.

§. 13.

Prov. XLII. p. 34. *Ne aperias feneſtras.* i. e. *Ne aperias ſenſus tuos.* Sic oculi Eccleſ. XII. 3. conferuntur *feneſtris.*

§. 14.

Prov. XLIV. p. 35. *Accende lucernam tuam.* i. e. *Illumina te operibus bonis.* Ita Matth. V. 16. fidelium *lux bona* eorum *opera* denotat.

§. 15.

Prov. LXII. p. 45. *Quando magnificabis*, *quem vides*, *is magnificabit te*, *quem non vides.* 1 Joh. IV. 20. Apoſtolus memorat ἀδελφον ὁν ἑωρακε & Θεον ὁν οὐκ ἑωρακε.

§. 16.

Prov. LXIV. p. 46. *Bonum divitiarum eſt, eſſe contentum.* Cui convenit iſtud Apoſtoli 1 Tim. VI. 6.

§. 17.

Prov. LXXIII. p. 58. *Mendacium infirmitas eſt; & veritas ſanitas.* Sic & Paulus ſæpius *veritatem* dixit *ſanam* 1 Tim. VI. 3. ἐι τις μη προσερχεται ὑγιαινουσι λογοις ——— και τη κατ᾽ ἐυσεβειαν διδασκαλια. 2 Tim. I. 13. exhibet ὑποτυπωσιν ὑγιαινοντων λογων. Tit. I. 13. ſcribit: ἱνα ὑγιαινωσιν ἐν τη πιςει. Ac Tit. II. 1. commendat ὑγιαινουσην διδασκαλιαν.

§. 18.

Prov. LXXX. p. 55. *Liberalis vicinus eſt Dei, vicinus paradiſi.* Inde illuſtrari poſſet ſententia Cl. WITHOFII Diſſ. *de Abrahamo amico Dei* Duisb. 1743. edita, quæ docet, iſtud nomen Abrahamo propter hoſpitalitatis laudem competere.

*In Centuriam Secundam.*

§. 19.

Prov. XIII. p. 71. *Opus & mundus tranſibunt:* & Prov. XLII. p. 58. *Mundus tranſibit.* Conf. 1 Joh. II. 17. & Prov. Cent. II. Prov. XLVI. p. 87.

§. 20.

Prov. XVII. p. 73. *O. tu, qui male egiſti in eo, quod præteriit, eſto bene agens in eo, quod reliquum eſt.* Ita & Paulus.

§. 21.

Prov. XXII. p. 75. *Scientia diadema eſt puero, & intellectus torques aureus.* Iſtud proverbium & Cl.

Cl. Hackmannus *Præcid. Sac. Tom. I. p. m.* 110, variis S. S. locis applicat.

§. 22.

Prov. XXXVII. p. 83. *Cuſtodi præceptum parentum tuorum.* Idem in Proverbiis Salomonis Cap. VI. 20.

§. 23.

Prov. LXV. p. 109. *Accidit, ut die quadam Locman Doctor verba faceret ad ſocios ſuos: & interrogavit eum quidam ex illis: unde didiciſti eruditionem? dixit Locman, ex eo, qui non habet eruditionem.* Scaliger atque Erpenius varie ſeſe torquent, quomodo didicerit eruditionem *ex eo, qui non habet eruditionem.* Dicam tamen, quid poſt diligentem conſiderationem mihi videatur. Is, *qui non habet eruditionem*, eſt *Mohammed*, qui ſemet ipſum *Prophetam illiteratum* vocat *Surat. VII.* 158. 159.

§. 24.

Prov. CX. p. 125. *O Medice medere tibi ipſi. Dicitur Viro ignoranti rem, quique cum ignorantia ſua præſumit notitiam.* Erpenius ad h. l. putat, Scholiaſten id minus recte explicare. Sed ſi cogitemus, Orientales conferre doctores cum medico, ſenſus erit: *indocto, qui alios docere vult, dicitur: medice medere tibi prius.* i. e. diſce antequam doceas.

# APPENDIX II.

*Sive*

## OBSERVATIONES MISCELLANEÆ

*in*

## RELANDI LIBRUM

## DE

## RELIGIONE MOHAMMEDICA.

§. 1.

De eleganti iſto libello, jam 1705. edito, ac *1717. recuſſo* varia monenda habeo.

§. 2.

Et quidem primo, cum illa, quæ ſana ſunt apud Mohammedanos, laudet, conſuli poteſt, ſi magnis parva addere licet, Aug. Gottof. Schuparti Diſſertatio *de veſtigiis Sapientiæ inter Turcas* præſide Gottof. Hecking 1738. ventilata.

§. 3.

Relandus, illos enarrans, qui jure ſive injuria de Mohammedanorum religione egerunt, omittit, quod miror, Pet. Holmii *Theologiæ Mubammedanæ brevem conſiderationem* Jenæ 1670. in 4. editam.

§. 4.

Porro V. D. præfatione obſervat, Pontificios cum Mohammedanis comparare Proteſtantes. Ma-

ximе vero huc pertinet *Calvino-Turciſmus* i. e. *Calviniſticæ perfidiæ cum Mahumetana collatio, & dilucida utriusque ſectæ confuſio. Quatuor libris explicata. Authore* Gulielmo Reginaldo *Anglo.* Antwerpiæ 1597. in 8. Ceterum magis dolendum Lutheranos idem contra Reformatos urgere. Ex. gr. Joh. Wolfg. Rentschius Diſſ. *de Turcis* Wittenbergæ 1661. vent. *Cap. III.* §. 1. ſcribit: *Id de Calvinianis ſuſpicari quis haud abs re poſſet.*

§. 5.

Ac denique de hoc compendio Theologiæ a Relando edito, teneas velim, quæ monet Cel. Millius Diſſ. *de Mohammedismo ante Mohammedem* §. *XLIII. Diſſ. Select. p. m.* 56. *Auctor*, inquit, *erat Philoſophiæ peritus, cujus terminos in ſuam Theologiam invexit. Cujus generis tamen Theologiam rigidiores religioſioresque Mohammedani, quaſi ea ratione profanaretur contaminareturque, haud admittere ſolent.*

§. 6.

Sed his jam miſſis, iſtud compendium conferre liceat cum variis S. S. locis. Multis capitibus, ſcil. *Cap. II. p. m.* 17. *Cap. VI. p.* 47. *Cap. VII. p.* 65. requirunt *agnitionem animæ & confeſſionem linguæ.* Ac *Cap. V. p. m.* 29. volunt, *ut corde agnoſcamus & lingua fateamur.* Quibus convenit iſtud Paulinum Rom. X. 9. ἐαν ὁμολογησης ἐν τω στοματι, και πιστευσης ἐν τη καρδια.

§. 7.

*Cap. I. p. m.* 6. 7. primum, quod credendum offerunt, eſt id, *quod Deus ſit.* Sic Heb. XI. 6. πιστευσαι δει τον προσερχομενον τω Θεω, ὁτι ἐστι.

## §. 8.

*Cap. III. p.* 15. de Angelis ita: *nec edunt*, *nec bibunt — nec inter illos mares aut fœminæ ſunt*, *nec iis appetitus carnalis.* Quæ eſt Evangelica de Angelis doctrina Matth. XXII. 30.

## §. 9.

De reſurrectione mortuorum variis utuntur phraſibus.

I.) *Cap. VI. p.* 53. *reducet Deus & reſuſcitabit:* ac *Cap. II. p. m.* 11. Deus dicitur *reverti faciens*, ad quem locum Relandus *Not. c.* ita: *Reverti faciens* i. e. *reſuſcitans. Reſurrectio quaſi reverſio ad Deum.* Si Pſ. XC. 3. תשב *redire facis*, *& dicis* שובו *revertimini*, ad reſurrectionem referres, iſtam explicationem ex hac Mohammedanorum phraſi illuſtrare poſſes. Si vero Pſalmi laudati verba ad mortem traheres, nec tibi contrarii Mohammedani, qui *Surat. XXXII.* 12. *extrahet e vobis angelus mortis animam*, *& ſic ad Dominum veſtrum reducemini.*

II.) *Cap. VI. p. m.* 55. *congregabit eos.* Sic auctor *Cenzil asrar*, apud Pocockium *Not. ad portam Moſis p. m.* 269. *Scias Deum congregaturum — in locum quo ſiſtendi ſunt recuſcitati.* Conf. Matth. XXV. 32.

III.) Ibid. *rationes eorum exiget*, *& examinabit eos*, *& dabitur iis liber eorum.* Conf. Apoc. XX. 12.

IV.) Ibid. *ponderabit opera eorum*, *tam bona quam mala*, *& retribuet omni animæ ſecundum id*, *quod fecit.* Conf. 1 Cor. V. 10. & ſexcenta alia S. S. loca.

## FINIS.

VA1 1527323

Digitized by Google

Digitized by Google

v. 4to

160
D.
~~47~~
43

Digitized by Google